



in
a
de
mini
ut

Loguam p[ro] se
I[esu]m Ch[ristu]m confiteat[ur]
N[omen] D[omi]ni inuocet
G[ra]tiam D[omi]ni p[re]dicet
U[er]bum D[omi]ni doceat
Et hos instruat & edificet



gvd
k. u. u. u.

Statione anti
...
...
...
...
...

III

III

**COMPEN-
DIV M LOGI-**

*C Æ in duas partes, commu-
nem scilicet & propriam
tributo*

Ex Aristotele & opere
Logico MATTHIÆ
LACII P. M. per-
spicua breuitate ex-
cerptum.

*Summa ex Aristotele & opere
Logico Matthiæ Lacii P. M. per-
spicua breuitate excerptum.*

ROSTOCHII

Typis Augustini Ferberi iunio-
ris, Anno cl. Io. xcv.

Musica

716
719491
Gymnasium
zu
Quedlinburg

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
ALLE
SALE

1938 Q 8864



INGENIO-

SIS ET INDOLIS

præclara adolescentibus FRI-

DERICO HEINIO &

BERNHARDO HANE

patritijs Rostochiensibus, dis-

cipulis suis.

S. D.



Vod vobis, adolescen-
tes optimi, vestrisque
commilitonibus, qui
Organon Aristotelis ex
me audiunt, aliquoties
promisi, id jam tandem, vti videris,
præsto. Logicæ enim, quam necessa-
rium mentis nostræ ad omnium re-
rum cognitionem adipiscendam in-
strumentum esse didicistis, summa
per.

EPISTOLA

perspicuitate cōcinnatam hanc Syn-
opsin, ætati huic vestræ, vestrisq;
studijs, vt spero, accommodatissi-
mam vobis exhibeo, nihil dubitans,
quin eandem assiduitatem & indu-
striam, quam hæctenus in hoc studio-
rum vestrorum curriculo mihi pro-
bastis, deinceps quoq; ad ratiocina-
tricem hanc artem probè percipien-
dam sitis adhibaturi. Namq; per-
suasum mihi habeo, vos multò maio-
ri cum fructu ac emolumento in v-
triusq; juris studio, ad quod animum
vestrum adjungetis, versari posse, si
philosophiæ, quam Iuris limpidissi-
mum esse fontem eius Antistites
non minus verè quàm eleganter do-
cuerunt, præceptis institutisq; fue-
ritis imbuti. Præposterum igitur
illud studium, cui hoc tempore quàm
plurimi, non sine summo rei & lite-
rariæ & publicæ detrimento sunt
dediti, dum statim, simulatq; ex tri-
vialibus scholis exiluerint, Gram-
ma-

DEDICATORIA.

maticæ elementis vix ac ne vix quidem perceptis, Logica verò seu Dialectica minimè ne primoribus quidem labris gustata, quibus etiam nomen ipsum persæpè est ignotum, illotis manibus, vel ad sacratissimum Theologiæ (in cuius primo limine, vt Augustini verbis vtar, repentè sacrilegiũ committunt) vel ad amplissimum Iuris studium (in quo cõfestim criminis læsæ maiestatis siũ rei) sese conferunt, atq; ita teste Icto volare satagunt, antequàm pennas assumant, toto pectore detestabimini. Si enim (vt de S. S. Theologia jam nihil dicam, cui quod & quomodo coniungendum sit studium Philosophicum, aliàs exposui copiosius) Vlpianus Ictorum Coryphæus se & veros Iuris sacerdotes, qui iustitiam colunt, æqui & boni notitiam profitentur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, veram, non simulatam philosophiam

EPISTOLA

m
 affectare, multis in legibus haud obscure testatur, cur non hunc potius & alios qui clarissima sunt mundi lumina, quam eos, qui ex antro quodam Triphonij procedentes à philosophis habitu ipso, pallio ac barba ad pubem usque porrecta, crine, vultu, sonituque vocis objurgatorio, futilem, inanem & nihil ad vitam tuendam, & ordinandam promoventem doceri philosophiam mentiuntur, audiemus? Quippe cum Samij isti lucumones neque quod sentiunt, dicant, neque quod dicunt, sentiant, sed quia vel præ ignavia, vel quòd à natura prorsus videantur esse relictæ, ad sublimitatem istam, qua tanquam mortales quidam Dij inter homines splendent philosophi aspirare sibi non licet, tanquam celebris ac honesti nominis fœdæ lolligines præclarissimum hoc DEI donum conspurcent, & veluti hirudines atrum Pseudophilosophorum aut Sophistarum



DEDICATORIA.

exuentes cruorem, sanum philoso-
phorum succum ne quidem attin-
gant. Quare cum de rebus non intel-
lectis nemo sincerum ferre possit ju-
dicium, nequè quicquam tam sit di-
uinum & admirabile, quod tutum sit
à Sycophantarum morsibus, ἐς κόρα-
κας isti calumniatores mittantur, &
quid sobriè & verè de rebus judican-
tes sentiant, attendatur. Hi autem
nisi me animus vehementer fallit, re-
liquas artes ac disciplinas humano
studio inuentas & excultas, si quic-
quid in illis philosophicum est, de-
mas, nihil nisi nomina sine rebus esse
statuunt: Vnde & Plato Caufidici-
nam sine philosophiæ cognitione
πολιτικῆς μορῆς εἰδωλον & alius qui-
dam κακοτεχνίαν vocarunt. Quamob-
rem cum rectè procedunt iudicia, ijs-
que præfunt illi, qui philosophantur,
delubra sunt æquitatis: cum depra-
uata, foueæ fallaces & cæcæ, in quas
si captus fuerit quisquam, non nisi

EPISTOLA

per multa exiliet lustra, adusque ipfas
medullas exuctus. Vos itaque ado-
lescentes amicè & moneo & hortor,
detis operam sedulo, vt antequam
vastissimo iuris pelago vos committa-
tis, humanioribus literis præclare si-
tis tincti & imbuti. Intueamini quos
in patria hac Academia & ciuitate
habetis, Viros! sed tacebo ne non satis
dicam, eorumque exempla studiose
imitemini. Hi nunquam ad tantum
dignitatis fastigium peruenissent,
tamque feliciter non tantum in hac
diœcesi Megapolitana, sed etiam in
toto orbe Romano, intricatas clien-
tum causas expediissent & expedi-
rent subindè, nisi ad Sacratissimarum
legum cognitionem adiunxissent
philosophiæ studium, cuius benefi-
cio difficilimas quæstiones, quas ho-
minum improbitas quotidie mouet,
dextrè intelligunt, & prudenter diju-
dicant. Præcipuè verò tibi FRID E-
RICE domi sunt, ne quæras foris,
quos

DEDICATORIA.

quos ante oculos ponas. Quis enim est omnium, cui parentis tui, viri Magnifici & consulis huius Reip. amplissimi, I. V. Doctoris excellentissimi in cognoscendo jure facilitas, in cōtroversijs expediendis felicitas, in judicando dexteritas, in exequendo autoritas non sit notissima? Fratris quoque tui & excellentia, & multiplici doctrina ac rerum usu comparata prudentia & deniq; alios consilio atq; auxilio juuandi promittitudo neminem latere potest. Taceo nunc affines tuos, CAMERARIVM, COTHMANNVM, KICHLERVM, NORDANNVM, & alios, qui non nisi extra mundum viventibus sunt ignoti, quorum domus non huius tantum ciuitatis sunt oracula, sed omnino imperij Romani. Quanti hi omnes studia philosophica fecerint & iam adhuc faciant, non est obscurum. Hos, ijsq; similes tibi propono, FRIDERICE, ab his exemplum, A S quod

EPISTOLA

m
 imiteris, sumas jubeo, non ab illis, qui vanos doctorum titulos crepant, quiq̄ esse primos se omnium rerum volunt, nec sunt tamen, atque, illud Nos poma natamus, subindè in ore, vel in corde habent. Sed me reprimo, ne veritas odium pariat. De vobis autem adolescentes charissimi nullum mihi est dubium, quin & rationibus & excellentium virorum exemplis adducti studia hæc philosophica ante omnia sitis amaturi, atq̄; etiam indies magis ac magis culturi, & tam diu quidem, quoad vos, quantum proficiatis, non pænitebit. Me vestro conatui vestrisq̄; studijs nequaquam deesse, crebræ istæ admonitiones, quibus & ad suscipiendam & ingrediendam horum studiorum rationem autor vobis sum assiduus, restantur abundè. Et certè quia ingenium in vobis conspicio insignne, indolemque egregiam & ad
ma-

DEDICATORIA.

maiora natam, si modò eum in studijs vestris seruetis ordinem, quem eruditissimi quiq; censent esse optimum, nempe vt sermonem puritate orationis & rationem veri inuestigatione non à posterioribus, nequam imitantes, sed vt plurimum à prioribus non quidem naturâ, sed nobi progredientes perficiatis, eam ob causam Logicam vobis coràm commendavi sæpius, & nunc publico hoc scripto commendo impensius. Nolite existimare, vos etiam absq; cognitione Logicæ in optimarum artium & Iurisprudentiæ studijs rectissimè progredi posse. Erratis, si id creditis, & vosmet ipsos maximè fallitis. Quemadmodum enim qui acutum habet gladium, si eum rectè vibrare haud nouit, sibi magis sæpè, quam hosti nocet: Ita quoq; etiamsi quis omnes leges totumq; jus perdidicerit, Logicarum tam en ignarus præceptionum optimam

EPISTOLA

causam malè defendendo sæpissi-
mè amittit. Pergite igitur in hoc
studio, in quo estis, & Organon il-
lud omnium disciplinarum dili-
genter cognoscite. Vt autem in te-
nera hac vestra ætate multitudine
præceptorum ne turbemini, hanc
Logicam ex Aristotele, & opere Lo-
gico Matthiæ Flacij philosophi quon-
dam & Medici in hac Academia ce-
leberrimi, quod instar commentarij
dilucidissimi habere potestis, de
promptam, in qua præcipua huius
artis præcepta breuiter sunt com-
prehensa, vobis dedico & offero, si-
mulq; hortor, vt cum huius lectione
Organon Aristotelis assiduè con-
jungatis, & hanc quia breuis est, &
intra paucos dies edisci potest, me-
morix penitus infigatis, maximè ve-
rò in disputationibus, quas pro Aristo-
tele ac veritate institui, vos studiosè
exerceatis. Quod verò hunc libellum
vobis dedicare voluerim, etiam hæc
me

DEDICATORIA.

me causa mouit, quia parentes vestri vnà cum suis collegis Academjæ huius nostræ compatronis me ad publicè in ea moralem philosophiam docendi munus stipendio liberali proposito vocarunt, vt ita aliquod grati animi officium, si non erga ipsos, erga eorum saltom filios præstare me debere agnoscam. Itaq; hæc meæ gratitudinis primitias etiam illis non fore ingratas spero, quandoquidem, DEO nobis clementer fauente, aliquandò & meliora ijsq; digniora sumus daturi. Vos interim cum parentibus vestris vestri amantissimis incolumes quàm diutissimè viuite & valete. Rostochij 27. Septembr. anno 95.

Nicolaus Willebrandus.



ELENCHVS ET AR
GVMENTA

Librorum & capitum Logicæ
generalis, Apodicticæ, Dia-
lecticæ & Sophi-
sticæ.

Liber primus Logicæ generalis con-
tinet prolegomena, agitq; de simpli-
cibus notionibus seu conceptibus a-
nimi, quos secundos vo-
cant.

PROLEGOMENA.

Cap. I. Quid sit Logica Fol. 1. a
II. De partibus Logicæ. 2. b.

De simplicibus animi concepti-
bus secundis.

*Cap. I. De distinctione voca-
bularum in homonyma &
& Synonyma 4. b.*
II. De

INDEX.

- II. De distinctione rerum
in substantias & accidentia,
inque universalia & singu-
laria. 5. b.
- III. De predicationum mo-
dis. 6. a
- IIII. De numero predicabi-
lium. 7. b
- V. De genere & specie. To-
to & parte. 8. b.
- VI. De differentia 9. b.
- VII. De proprio & acci-
dente. II. a
- VIII. De eodem & diuer-
so 12. b.
- IX. De oppositis 14. a
- X. De similibus & compa-
ratis 16. a
- De

INDEX.

XI. De ijs quæ simul sunt,
vel non sunt. 16. b.

XII. De causis & effe-
ctis 18. a

De decem Categorijs.

Cap. I. De numero Catego-
riarum. 18. b.

II. De substantia 19. a.

III. De Quantitate 20. a.

IIII. De Qualitate 21. b.

V. De relatis 23. b.

VI. De reliquis sex Cate-
gorijs 24. a.

Logicæ generalis liber secundus
agit de Enunciationibus.

Cap. I. Quid sit enunciatio, &
quæ partes illius & quotu-
plex

INDEX.

plex sit 25. b.

II. De enunciatione, uni-
versali, particulari, indefini-
ta, contingente & necessa-
ria 27. a

III. De oppositione enuncia-
tionum 28. a

IIII. De Enunciationibus
finitis & infinitis 30. a

V. De modalibus enuncia-
tionibus 30. b.

VI. De conuersione enunci-
ationum 31. b.

Logicae generalis liber Tertius de
Syllogismis.

Cap. I. Quid sit Syllogismus,
& quae partes illius, & quae
prin-

INDEX.

principia	34. a
II. De figuris & modis Syllogismorum	35. a
III. De abductione ad absurdum	36. a
III. De Syllogismis primæ figuræ	38. a
V. Methodus vitia Syllogismorum deprehendendi & arguendi	40. a
VI. De alijs argumentationum formis	41. a.
VII. De Syllogismis Hypotheticis	42. a.

LOGICÆ SPECIALIS Liber primus de demonstratione.

Cap I. Quid sit demonstratio, deq; partibus demonstrationis

INDEX.

- nis, & de questionibus scientificis. 43. b.
- II. De principijs demonstrationum. 45. a
- II. De medio demonstrationis, deq; propositionibus Apodicticis 46. b.
- III. De alijs demonstrationum generibus, quibus nomen hoc minus propriè competit. 48. b.

De quæstionum analysi.

- Cap. I. Quæstionum simplicium partitio 50. b.
- II. De distinguenda vocum & orationis ambiguitate 54. a.
- De

INDEX.

III. De questionum analy-
si 55. b.

III De rerum ipsarum, quæ
in questionem veniunt, ex-
plicatione 57. a.

De ratione definiendi & diui-
dendi.

Cap. I. De partibus & specie-
bus definitionis. 59. a

II. Generalia præcepta de
ratione definiendi 60. b.

III. Specialia præcepta de
definiendis singulis catego-
rijs. 62. b.

IIII. Quot modis reprehen-
datur definitio 65. b.

V. De divisione, quotuplex
sit,

INDEX.

sit, de quibus differentiis, per quas
diuidamus, inquirendis. 66. b.

VI. Quot modis reprehendatur diuisio.

Logicæ specialis liber secundus de
locis argumentorum & de
Methodis.

De locis argumentorum.

Cap. I. Locorum enumeratio. 70. b.

II. Loci definitionis & diuisionis. 71. b.

III. Loci à genere & specie, à toto & partibus. 72. a.

III. Loci à conjugatis & oppositis. 73. a.

Lo-



INDEX.

V. Locus à similibus & analogia 74. a.

VI. Locus à comparatis 75. a.

VII. Locus à causis & effectis 76. b.

VIII. Locus ab accidentibus & subjectis 77. a.

De Methodis & instrumentis docendi.

Cap. I. Quid sit Methodus & quotuplex 78. a.

De Methodo particulari
sive de instrumentis docendi. 78. b.

Logicæ specialis liber Tertius de Sophisticis Elenchis.

Cap.

INDEX.

Cap. I. De quinque Sophistarum scopis.	80. a.
De solæcismo & nugatione.	81. a.
III. Enumeratio locorum Sophisticorum	82. a.
III. De locis Sophisticis in dictione	83. a.
V. De locis Sophisticis extra dictionem.	85. a.
VI. De modis soluendi captiones sophisticas	88. b.





LOGICÆⁱ
generalis
LIBER PRIMUS.

PROLEGOMENA

CAP. I.

Quid sit Logica.

ARTIVM AC DISCIPLINARUM omnium instrumentum est Logica, quam plærique nunc Dialecticam vocant. Ea ingenium acuit, & iudicium format, vt perspicere possimus, quid in qualibet disciplina verum, quid falsum

B

sum

PROLEGOMENA.

sum sit: quid probabile quid
necessarium: quid consequens
quid repugnans. Atque hic, fi-
nis est Logices, dijudicare in
rebus obscuris verum à falso,
probabile à necessario, conse-
quens à repugnante.

Cum autem artes ferè o-
mnes à fine definiantur, erit
Logica habitus instrumentalis
verum à falso dijudicandi.
Nam cætera quatuor, quæ di-
ximus, ad hæc duo reducun-
tur. *Usus* Vt imur autem hac arte
tanquam instrumento ad veri
falsiq; dijudicationem, non in
omnibus rebus. Nam quæ
vel sensui vel intellectui per
se

PROLEGOMENA. e

se nota & manifesta sunt; vel
quæ per observationem & ex-
perientiam cognoscuntur: ad
ea nihil opus est arte vel Me-
thodo Logica. Sed in eo ge-
nere rerum, quarum cognitio
obscura & recondita est, qua-
lia sunt, quæ in artibus & di-
sciplinis traduntur, quæq; vel
demonstrari, vel in vtramque
partem disputari volunt &
possunt. In his usus est neces-
sarius hujus instrumenti Lo-
gici, quo verum à falso discer-
nimus, non secus atque fabri
libella seu perpendiculo re-
ctum à curuo discernunt.

PROLEGOMENA.

CAP. II.

De partibus Logicae.

Partes Logices duæ sunt: Communis & propria. *Communis seu generalis* præcepta communia omnibus materijs quæ vel necessariae sunt, vel probabiles vel falsæ, tradit, ad quam partem doctrina categoriarum, de enunciationibus seu propositionibus, & de Syllogismorum formis pertinet. *Propria verò seu specialis* præcepta tradit & modos ac conditiones, quibus necessariae, probabiles & falsæ propositiones, atque etiam necessariae,

rius,

rius, probabilis & falsus syllogismus efficiatur. Hæc pars logicæ in Apodicticam Dialecticam & Sophisticam distinguitur. *Apodictica* non disputat in utramq; partem, sed propositum necessarijs argumentis demonstrat, quibus contradicere nemo possit. Tales sunt demonstrationes Geometricæ & Astronomicæ. Demonstratio autem omnis nascitur ex causis vel effectibus. *Dialectica* ab Aristotele definitur ratio seu facultas de proposita quæstione probabiliter in utramq; partem differendi seu disputandi. In-

PROLEGOMENA.

numerabiles enim in discipli-
nis occurrunt quæstiones, de
quibus in utramq; partem di-
sputatur. Oportet igitur lo-
cos habere in promptu, ex qui-
bus argumenta in utramq;
partem depromas atq; inve-
nias. Itaq; à locis Dialectica
etiam Topica est dicta. Un-
dè libri Topicorum Aristote-
lis, in quibus tradit Dialecti-
cam. Sunt autem plæræq; in
Physicis, Ethicis, & alijs qui-
busdam disciplinis quæstio-
nes ejusmodi, ut de ijs dubita-
re seu disquirere, quid pro &
contra dici queat, ex usu sit,
priusquam demonstratione
con-

PROLEGOMENA.

4

controversiam finiamus. Alia sunt quæ demonstrari nequeunt. *Sophistica* modum tradit Sophistarum falsas argumentationes cognoscendi & refutandi.

Quia autem Logica nostrum intellectum seu vim rationalem excolit: rectè in ea tradenda servabitur ordo, qui spectatur in operationibus nostri intellectus, quæ sunt.

1. Simplicium adprehensio.
2. Compositio & diuisio, &
3. Deniq; ratiocinatio, primùm igitur de simplicibus notionibus, postea de enunciationibus: Tertiò de Syllogismis ac

B 4 de

DE PRÆDICABILIBVS ALIISQVE
demonstratione, deq; ea parte
Logicæ, quæ speciatiim Diale-
ctica appellatur, dicemus. Po-
stremo modos refutandi vi-
tiosa argumenta adiungemus.

DE PRÆDICABI-
BVS ALIISQVE CONCE-
ptibus animi quos secun-
dos vocant.

CAP. I.

*De distinctione vocabulorum
in homonyma & Synonyma.*

CVMM vocabula sint notæ
rerum, cauendum etiam
atque etiam est, ne confunda-
mus res diuersas, quibus idem
nomen tribuitur. Hoc autem
bifa-

CONCEPTIVS SECVNDIS. 5

bifariam contingit. Nam quibus nomen aliquod cōmune est, ea aut conueniunt definitione eius nominis, aut differunt. Illa Synonyma seu Vniuoca, hæc Homonyma seu æquiuoca appellantur. *Æqui- uoca sunt triplicia. Vnum genus eorum, quæ licet vno nomine appellentur, nullam tamen inter se cognationem habent vel similitudinem, vt Clauus pro gubernaculo nauis, & pro clauo ferreo quem parieti vel asseri infigimus. Secundum genus est earum rerum, quæ propter similitudinem quandam, eandem sunt*

B 5 for-

DE PRMDICABILIBVS ALIISQVE
fortitæ appellationem. Ho-
rum aia translata sunt alia nō
sunt. His addunt *tertium ge-
nus* eorum, quæ nominis quod
commune habent, definitio-
ne partim conueniunt, par-
tim differunt. V. g. Salubre
dicitur de corpore, causa &
signo: quæ conueniunt in sa-
nitate, differunt in relatione
ad sanitatem.

CAP. II.

*De distinctione rerum in sub-
stantias & accidentia, inq̄z
universalia & singu-
laria.*

*Substantia dicuntur, quæ-
cun-*

CONCEPTIBVS SECVNDIS. 6

cunq; per se subsistunt. Acci-
dentia, quæ non nisi in sub-
stantijs. Vtraq; rursus subdiui-
duntur in singularia, qualia
sunt omnia, quæ & quatenus
sub sensus cadunt, & digito
demonstrari possunt: inq; v-
niuersalia siue genera & spe-
cies. Quodlibet *singulare* v-
num quid numero est, loco &
tempore circumscriptum.
Vniuersale verò quodlibet
multa est, neque loco & tem-
pore definitur.

CAP. III.

De predicationum modis.

Vna res varijs plerunq;ue

B 6

ap-

DE PRÆDICABILIBVS ALIISQVE
appellatur nominibus, quæ no-
mina aliundè accipit V. g. v-
nus idemque homo dicitur
doctus, iustus, fortis, prudens,
robustus, pater, coniunx, Do-
minus. Vocantur hæc *concre-
ta* & *paronyma* seu denomi-
natiua. A quibus autem deno-
minantur, ea dicuntur *abstra-
cta*, vt sunt doctrina, iustitia,
fortitudo. Differunt hæc
quod abstractum rem vnam
significat, concretum duas,
nempè id quod & id à quo
denominatur. Oportet au-
tem vt vocabula concreta seu
Paronyma cum ijs, à quibus
denominantur, re significata
con-

CONCEPTIBVS SECVNDIS. 7

conueniant. Nominetenus
conuenire non est necesse.
V. g. Somnus & dormiens si-
ue somno captus. At niueus
pro eo, quod est colore niuis,
ab ipsa niue non denomina-
tur. His præmissis dicendum
nunc est, quot modis attribu-
tum de subiecto aliquo dica-
tur, siue quot sint modi prædi-
cationum: Prædicatio alia di-
citur Synonymos uniuoca, a-
lia Paronymos denominati-
ua. *Uniuocè prædicari* dicun-
tur, quæcunq̄ue de subiecto
quod sint, siue in quid sint,
prædicantur. Vt Plato est ho-
mo: albedo est color. Denomi-

B 7 nati-

DE PRÆDICABILIBVS ALIISQVE
natiue, quæ de subiecto quod
insint, dicuntur, siue in quale
fit: Plato est doctus. Vestis co-
lorata. Statua aurea.

CAP. IIII.

De numero prædicabilium.

Prædicabilia vocantur Lo-
gicæ differentia attributo-
rum. Quia autem res singula-
res non considerantur in di-
sciplinis, indiuidua seu singu-
laria non decet numerare in-
ter prædicabilia. Erunt igitur
tantum subiecta, quibus alia
attribuuntur. Prædicabilia e-
nim sunt quæ de pluribus præ-
dicari possunt. Quæ autem de
plu-

pluribus prædicantur, aut essentiam rerum plurium declarant aut aliquod accidens. Quæ essentiam, vel quid sit res vel quale quid sit ostendunt. In quale quid Differentia, quæ semper suum subinfert Genus; In quid de indiuiduis species, de speciebus Genus prædicantur. Quæ accidens rerum aliquod designant, eorum alia vni tantum speciei competunt, cuiusmodi est proprium, alia pluribus conveniunt speciebus, quomodo accidens commune de pluribus speciebus & indiuiduis prædicatur. **Quinque igitur sunt**

DE PRÆDICABILIBVS ALIISQVE
sunt prædicabilia. Genus, Dif-
ferentia, Species, Proprium &
Accidens.

CAP. V.

De Genere & Specie. Toto
& Parte.

Species est, quod non nisi de
pluribus numero differentibus
in quid sit prædicatur. Atq; hæc
definitio solis vltimis specie-
bus convenit. Itaq; potest et-
iam sic definiri. Species est
quod generi subest, & de quo
genus in quid sit prædicatur.

Genus autem est, quod de
pluribus specie differentibus in
quid sit prædicatur. Vel sic: Ge-

nus

CONCEPTIBVS SECVNDIS. 9

*nus est totum quid in species
tanquam in partes suas diffe-
rentijs diuiduum.*

A toto autem seu integro
propriè dicto differt genus:
vel quod partes integri non
vt generis, definitione discre-
pant, cuiusmodi sunt, quæ vo-
cantur partes similes: vel
quod non vt genus de quali-
bet specie, sic totum de quali-
bet parte prædicatur V. g.
Brachium est homo, non re-
ctè dicitur.

*Species porrò vel est ultima
& indiuiduis proxima, quæ in
alias species subdiuidi nequit:
Vel est intermedia siue subal-
terna,*

DE PRÆDICABILIBVS ALIISQVE
terna, quæ modò genus est,
modò species.

Similiter genus vel est *sum-*
mmum, supra quod nullum est
aliud genus: Vel est *interme-*
dium & *subalternum*, quod
modò species, modò genus
est diuerso respectu. *Supre-*
mmum verò genus nunquam
est species, sicuti vltima spe-
cies nunquam est genus. Est
autem & genus quoddam in-
fimum, vltimis speciebus pro-
ximum V. g. Arbor. Animal.

CAP. VI.

De differentia.

Differentiarum alia sunt
essen-

CONCEPTIBVS SECVNDIS. 8

essentiales, per quas definimus & diuidimus. *Aliæ accidentales*, quæ adhibentur ad distinguendas res vniuersales, suntque vel propria vel accidentia inseparabilia.

Essentiales differentiaē vocantur etiam *specificæ*, propterea quod generi additaē constituent seu efficiant certam aliquam speciem. *Specificarum* differentiarum quatuor sunt conditiones. 1. Ut toti insint speciei, quæ per eas definitur. 2. Ut semper insint. 3. Ut differentia generi iuncta, vnius alicuius speciei propria sit, non duabus aut pluribus

DE PRÆDICABILIBVS ALIISQVE
bus communis. 4. Vt non pa-
teat extra suum genus quod
diuidit. In defectu autem es-
sentialium differentiarum de-
finimus vel per verè propria,
quæ omni, & soli, & semper,
insunt: Vel per accidentia in-
separabilia, quæ omni speciei
& semper insunt, & quadan-
tenus etiam soli, puta eiusdem
generis respectu, id est, quæ
cæteris eiusdem generis for-
mis cum speciebus non in-
sunt. Sed essentialibus diffe-
rentijs propriissimè & maxi-
mè competit nomen diffe-
rentiæ, alijs minus propriè.
Essentiales autem cognomi-
nan-

nantur, quia propriam rei essentiam proximè & immediatè consequuntur.

CAP. VII.

De proprio & accidente.

Quicquid extra essentiam rei est, dicitur accidens. Hoc autem vel vnius alicuius speciei *proprium* est vel duabus aut pluribus *commune*. *Proprium* autem verè & propriè dicitur id, quod vni alicui speciei, eiq; omni seu toti & deniq; semper inest: Vt homini, ridere posse. Et hoc *proprium* conuertitur cum sua specie. Estq; aut *simplex* vt ridere

DE PRÆDICABILIBVS ALIISQVE
dere vel loqui posse hominis:
aut *compositum* ex contrarijs
vt animalis masculinum aut
fæmininum esse. At quæ pro-
pria cum subiecto converti
nequeunt, licet uni alicui spe-
ciei competant, rectius tamen
inter accidentia speciatiim di-
cta collocantur, quod vel non
om. . ., vel non semper insint.

Accidentis autem voca-
bulum accipitur bifariam.
Absolutè pro eo, quicquid per
se non subsistit, sed in alio, &
substantiæ opponitur. Et re-
lativè seu comparativè ad a-
liud, cum dicimus hoc esse il-
lius accidens. Tumq; sic defi-
ni-

nitur. Accidens dicitur, quod neq; species, neq; genus est, neq; proprium, neq; differentia eius cui attribuitur. Definitur etiam hoc modo: Accidens est, quod vni alicui speciei inesse contingit, & eidem non inesse V. g. Homo albus esse potest, & non albus.

Cæterùm quod re ipsa separari potest à subiecto, cui inest, vocatur *separabile*. *Inseparabile* autem dicitur, quod non nisi cogitatione separari potest. Cogitatione autem separatur, cum vel non soli, vel non semper inesse intelligimus. V. g. Neq; corui tantum

DE PRÆDICABILIBVS ALIISQVE
tum nigri, nequè homo sem-
per canus.

Accidentia nominibus ex-
plicantur, quorum alia *abstra-*
cta, vt albedo, alia *concreta*
sunt, quæ designant accidens
pariter cum subiecto, in quo
sunt. Horum alia adiectiua
sunt, vt albus, doctus, alia sub-
stantiua V. g. Domus. Serra.
Cochlear. Pater. Virgo. Con-
iunx, etc.

CAP. VIII.

De eodem & diuerso.

Præter ea quæ dicuntur
prædicabilia, sunt & alij con-
ceptus secundi, seu differen-
tia,

tia, quæ insunt rebus quo-
ad sub intellectum cadunt.
Nempè in rebus insunt *idem*
& *diuersum*, & ex ijs quæ di-
uerfa dicuntur, quædam sunt
opposita, quædam *similia*, quæ-
dam *comparata*. Deniq; alia
simul sunt alia non sunt. De
quibus omnibus breuiter.

Eadem & *diuersa* dicuntur
vel *subiecto* & *numero*, vel *Spe-*
cie, vel *genere*.

Numero eadem dicuntur:
cum res vna atque eadem ad
numerum diuersis designatur
nominibus. V. g. Vestis & in-
dumentum. Homo & animal
rationale. Aristoteles & præ-
cep-

C

cep-

DE PRÆDICABILIBVS ALIISQVE
ceptor Alexandri. Et quæ in
vno sunt subiecto, numero
eadem esse dicuntur, quia ca-
dunt in rem vnam V. g. Do-
ctrina & fortitudo Alexandri.
Deniq; accidens cum eo, in
quo est, numero & subiecto
vnum esse dicitur V. g. Alex-
ander & eius fortitudo.

*Numero autem & subiecto
differunt, Individua duo di-
uersa. Et quæcunq; in diuersis
subiectis insunt V. g. Geome-
triæ cognitio in Platone & A-
ristotele.*

*Specie eadem sunt, quæ cum
plura sint numero, specie non
differunt. Talia sunt indivi-
dua eiusdem speciei. Specie*

autem differunt, partim ipsæ species diuersæ, Vt homo & equus: partim quæcunq; sub diuersis formis continentur.

Genere eadem dicuntur, quæ sub eodem genere continentur, vt homo & equus sub animali: *Differunt autem quæ* sub diuersis generibus, vt homo & eruditio, numerus & magnitudo, quam in longum, latum & profundum metimur.

CAP. IX.

De oppositis.

Opposita dicuntur, quæ vni eidemq; rei, simul & respectu eiusdem tribui & compe-

G 2 tere

DE PRÆDICABILIBVS ALIISQVE
tere nequeunt: simul autem
cognoscuntur & innotescunt.
Eorum quatuor sunt genera.
Vnum genus est eorum, quæ
vocantur *contraria*, seu aduer-
sa vt album & nigrum. Se-
cundum eorum, quæ oppo-
nuntur vt *habitus* & *privatio*,
vt visus & cæcitas. Tertium
eorum quæ dicuntur *relative*
opposita, vt Pater & filius.
Quartum genus eorum, quæ
pugnant vt *affirmatio* & *nega-*
tio. vt bonum non bonum.

Contraria seu aduersa di-
cuntur, quæ sub eodem gene-
re posita longissimè ab invi-
cem distant, ut è coloribus al-
bus

bus & niger. Horum alia sunt *immediata*, quorum alterutro sublato, necessario ponitur alterum in eo, cui competunt, subiecto. v. g. Molle & durum. Par & impar. Alia sunt *mediata*, quæ medium habent unū vel plura. Plures sunt medij colores inter album & nigrum. Inter justum verò & injustum medium unicum intervenit. Puer enim neq; justus neq; injustus est. Ex contrarijs mediatis, neutrum necessario inest, sed utrumq; abesse potest, præterquàm ab ijs, à quibus alterum eorum separari nequit, ut à nive albedo.

DE PRÆDICABILIBVS ALIISQVE

Habitus vocatur res aliqua; cuius absentia dicitur *privatio*. Quomodo surditas est absentia siue carentia auditus. Itaq; sic definitur *privatio*, quod sit absentia speciei, ab eo cui, & quando, & ubi, competit habitus.

Relative opposita referuntur ad invicem hoc modo: pater filij pater, & filius patris filius.

Quarti generis opposita differunt ut *Ens* & *non ens*. *Album non album*. *Videns non videns*. *Malum non malum*. *Non malum* latius patet quàm *bonum*. Quia etiam de
non

non ente prædicatur non ma-
lum. V.g. de Hippocentauro.

CAP. X.

De similibus & comparatis.

Similitudo spectatur vel
inter tria, quorum duo con-
ueniunt in vno tertio. Sic
ouum ouo simile dicimus es-
se, & Simiam homini. Vel in-
ter quatuor, quorum primum
sic se habet ad secundum, si-
cuti tertium ad quartum, &
vocatur ἀναλογία proportio.
V.g. Quod sol est in mundo,
id est cor in animali. Et sicuti
nauta nauim, sic princeps
Remp. regit.

DE PRÆDICABILIBVS ALIISQVE

Comparata autem paria vel imparia sunt. *Paria* dicuntur, quæ ex æquo talia sunt. *Imparia*, quorum alterum magis, alterum minus tale est. *Parium* exempla. Non magis gloria bonum quàm diuitiæ, neq; hæ magis quam illa. Et iustitia æquè utilis atq; honesta est. *Imparium* exempla. Sanitas magis bonum est, quam diuitiæ. Et senes vt plurimum magis sapiunt, quam iuuenes.

CAP. XI.

De ijs quæ simul sunt, vel non sunt.

Simul esse dicuntur, quæ

11-

in eodem tempore sunt & fi-
unt, *Priora autem vel postero-
ra*, quæ in diuersis. Sic Bellum
Troianū prius fuit Roma. Na-
tiuitas autem Christi & Impe-
rium Augusti simul fuerunt.

Sed sunt & alia duo signi-
ficata prioris, posterioris, ac
simul. Nempe quod definit,
prius est eo, quod per illud
definitur V. g. animal pri-
us est homine & notius,
vocaturque hoc *prius* τὸ πρότερον.
Et cum aliud ex alio conse-
quitur, illud prius dicitur, ex
quo alterum consequitur. V. g.
Si animal non est; neq; homo
est. At animal esse potest, li-

DE PRÆDICABILIBVS ALIISQVE
cet homo non fit. Priora tol-
lunt posteriora tolluntur.

Quæ autem in oratione re-
trò comeant, & quæ per se
mutuò definiuntur, ea *simul*
esse dicuntur τῷ λόγῳ. Talia
sunt Relatiua, itemq; propri-
um & id, cuius est proprium.
Hæc quoq; simul sunt: Solem
ortum esse, & diem esse. Quia
retrò comeant. Sol ortus est,
ergo dies est, & vice versa.

Alterum prioris & poste-
rioris significatum est; cum al-
terum altero *prius* esse dicitur
Natura τῆ φύσει: quomodo cau-
sa omnis prior est effectui V.g.
Solis ortus quàm dies, & pa-
ter

CONCEPTIBVS SECVNDIS. ut
ter filio. *Natura* autem simul
esse dicuntur, quorum neu-
trum est alterius causa. V. g.
Bos & Leo.

CAP. XII.

De causis & effectis.

Causa omnis prior est ef-
fectu suo. Causa autem qua-
druplex. *Efficiens* à qua. *Finis*,
propter quam. *Materia*, ex
qua, *Forma*, secundum quam
fit aliquid. Sub efficientibus
comprehenduntur instru-
menta.

Sed de his plura in phyfi-
cis & alibi.

DE PRÆDICAMENTIS.
DE DECEM CA-
TEGORIIS.

CAP. I.

De numero Categoriarum.

AD definiendum necessa-
ria est Categoriarum co-
gnitio: quia aliter substantias,
aliter quantitates, aliter
qualitates definimus, aliter
relata. Vocantur autem
Categoriæ summa genera re-
rum seu entium. Hæc sunt de-
cem numero. Vnum genus
est substantiarum, siue rerum
per se subsistentium. Nouem
genera accidentium. Nempe
Quantitas, quæ metitur, *Qualitas*,
quæ informat rem. *Age-
re & pati* quæ spectantur in

motu seu in fieri. *Relata* quorum esse est ad aliud referri. *Vbi & Quando, Situm esse & Habere.* V. g. Plato, statura mediocri, doctus fuit, & præceptor Aristotelis. Vixit Athenis, tempore Socratis, docuit & peregrinatus est: molestiasque peregrinationum pertulit. Stans vel sedens disputa-uit. Vestitu usus est simplici.

CAP. II.

De substantia.

Substantiæ aliæ dicuntur *primæ*, suntque individua seu singularia, vt Plato. Aliæ *secundæ*, suntque genera & species

C 7 sub-

DE PRÆDICAMENTIS.

Substantiarum. Vt Homo & Animal.

Differunt substantiæ ab accidentibus, quod omne accidens est in alio tanquam in subiecto. Substantia non est.

In subiecto autem esse dicitur, quod nec pars est eius, in quo est, nec sine eo esse potest.

Deniq; maximè proprium est substantiæ, quod vna eademque numero substantia contrariorum capax sit. V. g. Aqua caloris & frigoris. Contrariorum capax esse dicitur, quod de vno contrariorum mutari potest in alterum.

V. g.

V.g. Vna eademq; aqua, quæ iam calida est, paulo post potest fieri frigida.

CAP. III.

De Quantitate.

Quantitas omnis continua vel discreta est. *Continua* dicitur, cuius partes communi termino coniunctæ sunt, & cohærent. Communem terminum voco, qui vnius partis initium, alterius extremum est. Huius generis quinque sunt species. *Linea. Superficies. Corpus. Tempus & Locus.* *Discreta* vel discontinua dicitur, cuius partes nullo com-

DE PRÆDICAMENTIS.

communi termino cohærent:
Vt sunt Numeri. Nam ora-
tio quia sonus est, ad Qualita-
tem pertinet. Locus autem
& tempus considerantur bi-
fariam: *Vel absolute*, tumq;
significant certum quoddam
spacium loci vel temporis.
V. g. Annus, Mensis, Hora,
Forum amplum vel angu-
stum, platea. Campus, Area
domus. *Vel relative*, cum a-
liquid esse aut fieri dicimus
in loco & tempore. In foro
dicimus esse hominem, non
quod totum forum occupet.
Et domus ad forum sita esse
dicitur. Et cum dico, Cras
ad

ad te veniam, non intelligo totum crastinum diem, id est, totum hoc temporis spacium: Sicuti cum dico: Totum diem ambulavi. Cum igitur aliud sit locum vel tempus esse, aliud esse in loco vel tempore: ob id rectè duo illa genera, VBI & QUANDO separantur à Loco & Tempore, quæ duo sunt in Quantitate.

Maximè proprium est quantitatatum, quod quantitas alia alij æqualis vel inæqualis esse dicitur. V.g. Linea lineæ æqualis est vel inæqualis: & superficies superficiej, & numerus numero: & tempus tempori: locus loco.

DE PRÆDICAMENTIS.

Et continuæ quantitatis propria attributa sunt, Magnum vel Paruum: Numeri, Multum vel paucum esse. De alijs autem rebus hæc dicuntur quatenus quantæ sunt.

CAP. IIII.

De qualitate.

Qualitas est, ex qua res quales dicuntur & similes vel dissimiles.

Qualitatum quatuor sunt genera. 1. Habitus $\epsilon\acute{\xi}\iota\varsigma \kappa\upsilon \delta\iota\acute{\alpha}\theta\epsilon\sigma\iota\varsigma$. 2. Potentia & imbecillitas naturalis. $\Delta\acute{\omega}\alpha\mu\iota\varsigma \kappa\alpha\iota \acute{\alpha}\delta\omega\alpha\mu\iota\acute{\alpha} \phi\upsilon\sigma\iota\kappa\eta$. 3. Patibilis qualitas & affectio, $\pi\acute{\alpha}\theta\eta$. 4. Figura & Forma. Ha-

Habitus dicitur qualitas non natiua sed acquisita, cuius beneficio homines possunt certius & perfectius agere, aut etiam pati ea, ad quæ agenda, patiendaq; sua natura non erant inepti. Huiusmodi habitus sunt artes ac disciplinae & virtutes vitiaq; confirmata, atq; omnes ij, qui per adfuefactionem comparantur. V. g. Habitus canendi fidibus, saltandi. Habitus porro alius inchoatus, alius perfectus & confirmatus, qui & stabilis est. Inchoatus autem habitus dicitur *ἡμιτελής*, dispositio.

Se =

DE PRÆDICAMENTIS.

Secundum genus dicitur
vis & *imbecillitas naturalis*
seu congenita rebus: ob quam
agere vel pati aliquid possunt
vel non possunt. V. g. Asi-
nus literas discere nequit, quæ
tamen aptitudo est in ho-
mine.

Tertium genus qualitatis,
sicuti & quartum non sunt in
genere facultatis, sed signifi-
cant actum. Neq; verò ob-
scurum est quartum, quod
complectitur figuras, formas-
que rerum externas, quæ ferè
vel à natura vel ab arte dan-
tur & insunt rebus. Sic alia
Leonis, alia Hominis forma.

Et

Et alia calcei alia thoracis. Sic alia circuli, alia Trianguli figura est.

Quæcunq; verò aliæ qualitates neq; potentiam significant ad aliquid agendum vel patiendum, neq; impotentiam: insunt autem actu: omnes hæ continentur in tertio genere, vocanturq; patibiles qualitates & πάθη. Antecedunt hæ vel consequuntur alterationes animorum vel corporum: suntq; earum vel causæ vel effectus. Quæ autem ex his instabiles ac momentaneæ sunt, πάθη: Cæteræ patibiles vel affectæ qualitates appellantur.

DE PRÆDICAMENTIS.

CAP. V.

De relatis.

Relatiua propriè dicuntur, quorum esse nihil est aliud, quam referri ad alterum, seu quorum essentia nihil est aliud, quàm mutua relatio, seu respectus mutuus: qualis est inter simile & simile, inter patrem & filium. Omnis igitur relatio consistit inter duo, quæ vocantur correlativa. Et ipsa quidem relatio à relatiuo differt, ut abstractum à concreto. V. g, Similitudo & simile. Duobus autem correlatiuis necesse est substrui duo

alia

alia subjecta, de quibus illa
prædicentur. V. g. Philippus
pater. Alexander Magnus fi-
lius est.

Proprium relatiuorum est,
quod inter se mutuo conuer-
tuntur, & per se inuicem de-
finiuntur, explicanturq; hoc
modo: Pater est, qui filium
habet. Filius qui patrem. Rex
qui regnū habet, & Regnum
cui rex præest. Simul igitur
cognoscuntur relatiua sic, vt
qui alterutrum ignorat, v-
trumq; ignoret.

CAP. VI.

De reliquis sex categorijs.

Ex

DE PRÆDICAMENTIS.

Ex substantia, quantitate & qualitate nascuntur sex reliquæ Categoriæ. Ex substantia situm esse & habere. ex Qualitate agere & pati. Ex quantitate ubi & Quando. Ad *agere* & *pati* pertinent omnes hominum aliarumq; rerum actiones, effectiones, mutationes, perpersiones.

Ad ubi & *Quando*, quæcunq; significant in loco vel tempore, vt hodiè, cras, heri, Hodiernus, Crastinus, Hesternus, In mari, in agro, in vrbe, ad forum, Marinus, urbanus, agrestis, circumforaneus.

Ad

Ad situm esse pertinent quæcunq; significant corporis vel partium certam quandam collocationem & figurationem, vt stare, sedere, jacere supinum, pronum, digitum habere flexum, extensum.

Ad Habere pertinent vestitum esse & nudum. Armatum & inermem. Ornatum denique & instructum esse & contra. Item capere seu continere, vnde repletus & vacuus.

FINIS LIBRI
PRIMI.

D Logi-

DE ENUNCIATIONIBVS
LOGICÆ
generalis
LIBER SECUN-
DUS.

DE ENUNCIATIONIBVS.

CAP. I.

*Quid sit enunciatio: Et quæ
partes illius, & quotu-
plex sit.*

EUNUNCIATIO est ora-
tio affirmans ali-
quid aut negans. O-
mnis autem adfir-
matio & negatio vera aut fal-
sa est.

Par-

Partes enunciationis duæ sunt: *Subiectum* & *prædicatum*, quæ extra enunciationem Aristoteli vocantur *Nomen* & *verbum*, quorum illud significat rem sine tempore. Verbum verò tempus significat.

Enunciatio autem vel *Vna* est & *Simplex*, qua vnum de vno prædicatur: vel *multiplex* & non *vna*: cum de vno plura, vel de pluribus vnum, vel de pluribus plura dicuntur.

Simplex enunciatio duorum generum est. *Vna simplicissima*, quæ constat ex no-

D 2 mi-

DE ENUNCIATIONIBVS.

mine & verbo substantiuo,
V. g. unicornu est, non est.

Altera quæ verbum substantiuum in prædicato continet apertè aut latenter. Vt, Aquila volat. Homo est doctus.

Enunciatio multiplex etiam dicitur bifariam. Aut enim constat ex pluribus simplicibus, sed inter se copulatis vel per conditionalem particulam, vel per disiunctiuam. Si dies est, sol ortus est. Aut dies aut nox est. Vocaturq; Hypo-thetica: quæ tota vera esse potest, vt pars altera, vel vtraque falsa sit. V. g. Si equus habet pennas, volat. Aut plures illæ
enun-

enunciationes non ita cohæ-
rent. V. g. Plato fuit doctus,
iustus, continens, temperans
& sapiens.

CAP. II.

*De enunciatione, vniuersali,
particulari, indefinita, contin-
gente & necessaria:*

Vniuersalis enunciatio di-
citur cum subiecto vniuersali
additur signum vniuersale. Vt
Omnis & Nullus, & quæ si-
mitem vim habent.

Particularis cum subiecto
vniuersali additur signum
particulare, Ut Quidam. Non
omnis.

D 3 Vni-

DE ENUNCIATIONIBVS.

Vniuersalis exempla: Homo capax est omnium disciplinarum. Amicitia nō est nisi inter viros bonos. Particularis. Quidam homines docti. Non omnes docti sunt.

Indefinita deniq; enunciatio dicitur, cum subiecto vniuersali nullum signum additur. vt Homo est animal. Homo est doctus.

Omnis etiam enunciatio vera aut falsa est: Et quæ vera est, aut necessaria est aut contingens. Contingentium tria genera. Vnum eorum, quæ plarumq; eodem modo se habent: circa quod genus
ver.

versantur artes ac disciplinae. Reliqua duo in his non tractantur: nempe quæ raro fiunt, ut thesauri inuentio, & quæ in vtramq; partem paria sunt, vt sunt, quæcunq; pendunt à libera voluntate.

Ex futuris etiam quædam sunt necessaria, vt solem cras ad nos rediturum: Alia contingentia, eaque incerta V. g. vtrum crastinus dies hic serenus sit futurus nec ne.

CAP. III.

De oppositione enunciationum.

Omni affirmationi sua op-

D 4 po-

DE ENVNCIATIONIBVS.

ponitur negatio, & omni negationi affirmatio. Requiritur autem, vt vtraque sit eiusdem de eodem, & respectu eiusdem, vel secundum idem.

Cæterùm duæ vniuersales, quarum altera affirmat, altera negat, dicuntur *contrariæ*: quæ simul falsæ esse possunt, & sunt in contingentibus. Simul autem veræ esse nequeunt.

Duæ autem particulares affirmans & negans dicuntur *subcontrariæ*, quia sub vel in contrarijs continentur. Hæ in rebus contingentibus simul veræ sunt.

Con-

Contradicentes autem enunciationes dicuntur vniuersalis affirmans & particularis negans. Rursus vniuersalis negans & particularis affirmans. Hæ neq; simul veræ, neq; simul falsæ esse possunt. Duæ autem indefinitæ pro contradicentibus habentur: in quibus idem de eodem affirmatur ac negatur V. g. Voluptas est bonum, non est bonum.

Subalternas vocamus duas enunciationes affirmantes vniuersalem & particularem. Vel duas negantes vniuersalem itidem & particularem.

D 5 Quia

DE ENUNCIATIONIBVS.

Quia altera earum est sub altera. Ac siquidem vera est vniuersalis, veram quoq; esse oportet particularem, quæ illi subest, & in ea continetur. Non tamen vice versa.

Deniq; cum duo contraria eidem tribuuntur subiecto, hæ enunciationes repugnantes dici possunt. V. g. Socrates est justus, est injustus. Voluptas est bonum, est malum. Amicus est candidus & est simulator. Non tamen hæ solum, sed & aliæ omnes enunciationes repugnare dicentur, quæcunq; simul stare non possunt: cum non oppo-
nan-

nantur vt affirmatio & negatio ejusdem de eodem. V. g. Sola virtus est bonum, & Sanitas est bonum.

CAP. IIII.

*De enunciationibus finitis
& infinitis.*

Infinita enunciatio est, vbi vel nomen vel verbum; vel vtrumq; infinitum est. Habent autem infinita speciem negantium licet affirmant V. g. Seruare legem est non peccare contra eam. A parte subjecti infinita est hæc: Non seruare legem est peccare contra eam. Exem-

D 6 plum

DE ENUNCIATIONIBVS.

plum infinitæ ab vtraq; parte.
Non peccare est non com-
mittere aliquid contra leges.

CAP. V.

*De modalibus enuncia-
tionibus.*

Enunciationes modales vo-
cantur, in quibus unus horum
quatuor modorum prædicato
additur. Possibile. Contingens.
Necesse. Et impossibile.
Quatuor autem hi reuocan-
tur ad duos. Ad Necessarium
& Contingens. *Contingens*
dicitur quod potest esse, i-
demq; potest non esse. *Neces-
sarium* quod vel non potest
non

non esse: vel quod non potest esse, quod posterius vocatur ἀδυνατόν.

Typus.

Εἰς τὸ Χόμωον	{	Δυνατόν.	} contradicentia.	{	Ἀδυνατόν.	} Non potest esse.
		Potest esse			Non potest esse.	
	} Subcon- naria.	} contradicentia.	{	} Non potest non esse.		
					μη ἀναγκαῖον.	Ἀναγκαῖον.
} non esse	} non esse.					

Modalis igitur enunciatio alia necessaria est, in qua additur modus, Necesse vel impossibile, vel æquipollens: Alia contingens, in qua additur modus, cōtingit vel possibile, vel æquipollens. Quæ autem enunciatio enunciatur absque

DE ENUNCIATIONIBVS.

aliquo horum modorum, *absoluta* dici potest.

CAP. VI.

De conuersione enunciationum.

Universalis negans conuertitur hoc modo: Nulla voluptas Bonum: Ergo Nullum bonum voluptas. *Universalis affirmans*. Si omnis voluptas bonum, Ergò quoddam bonum est voluptas. *Particulares affirmans*: Si quædam voluptas bonum, Ergò quoddam bonum est voluptas. *Particularis negans* non necessario conuertitur.

Di-

Dicamus nunc de conuer-
sione modalium, quæ vel sunt
necessariæ vel contingentes.
Necessaria universalis negans
conuertitur instar absolutæ.
Si necesse est nullum animal
perpetuò viuere, Ergò neces-
se est nullum perpetuò vi-
uens esse animal.

Reliquæ modales necessa-
riæ non necessariò conuer-
tuntur, quod exemplis osten-
dam: Necesse est aliquod vi-
uens non sentire. Non tamen
necesse est aliquod sentiens
non viuere. Necesse est o-
mnem & quendam Gramma-
ticum esse hominem. Non

DE ENUNCIATIONIBVS.

tamen necesse est, quendam hominem esse Grammaticum.

Contingens in enunciatione accipitur bifariam. Vel pro possibili, siue hoc necessarium sit, siue non necessarium: Vel pro eo, quod & possibile & non necessarium est: siue quod potest esse, & potest non esse.

Cum contingens accipitur pro possibili, vniuersalis negans non conuertitur vt absoluta. V. g. possibile est nullum hominem esse doctum. Non tamen possibile est, vt nullus doctus sit homo.

Par-

Particularis etiam negans nō
 necessario conuertitur. V. g.
 possibile est aliquem homi-
 nem non ridere. Non tamen
 possibile est aliquod ridens
 non esse hominem: Vniuer-
 salis autem & particularis af-
 firmans necessario conuer-
 tuntur particulariter. Si possi-
 bile est omnem vel aliquem
 doctum esse Grammaticum
 etiam possibile est, aliquem
 Grammaticum esse doctum.

Quod si verò contingens
 accipiatur pro eo, quod nec
 impossibile nec necessarium
 est, nulla contingens enun-
 ciatio conuertitur necessario.

V. g.

DE ENUNCIATIONIBVS.

V. g. Contingit quoddam animal viuere & sentire in aquis, vt amphibia, quæ possunt viuere & non viuere in aquis. Non tamen contingit quoddam in aquis viuens esse animal. Quia necesse est, omne in aquis viuens & sentiens esse animal.

FINIS LIBRI
SECUNDI.

Logi-

LOGICÆ

generalis

LIBER TERTIUS.

DE SYLLOGISMO.

CAP. I.

*Quid sit Syllogismus, & quæ
partes illius, & quæ principia.*

Syllogismus est ratio, in qua positis quibusdam, aliud quid præter ea, quæ posita sunt, necessario evenit, seu consequitur, propter ea, quæ posita sunt.

Partes Syllogismi maiores sunt duæ præmissæ & conclu-

DE SYLLOGISMO.

fio: Minores sunt tres termini: Medius, Maior, & Minor.

Medius est, qui in præmissis bis sumitur, conclusionem verò non ingreditur. Prædicatum cōclusionis *Maior*, subiectum *Minor* terminus appellatur.

Principia, è quibus omnis syllogismorum certitudo pendet, sunt hæc: *Dici de omni* & *dici de nullo*. Si omnes homines sunt mortales: Igitur & reges. Si nulli immortales. Igitur neq; reges. Cum his autem principijs quadrant omnes syllogismorum modi. Sed
non

non ita apparet in secundæ & tertix figurarum modis, priusquam reducuntur ad primam.

CAP. II.

De figuris & modis syllogismorum.

Ex diuersa medij termini collocatione, tres nascuntur figuræ. In quarum *prima* Medius terminus est subiectum in maiore & prædicatum in minore propositionibus. In *secunda* medius terminus vtrobiq; prædicatur. In *tertia* vtrobiq; subijcitur. Prima autem modos habet quatuor,

DE SYLLOGISMO.

totidem secunda. Tertia Sex,
Versibus his comprehensos:

*Barbara, celarent, prima Darij, Ferioq.
Cesare, Camestres, Festino, Baroco secundo.
Tertia gr̄ade sonans recitat Darapti, Felapton
Adiungens Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*

Alij omnes modi sunt ἀσυλλογισμοί, neque quicquam necessario concludunt, quia non congruunt ad principia syllogismorum.

Secundæ autem & tertiæ figurarum Syllogismi ad primam reducuntur, vel sola conuersione alterius propositionis, in secunda scilicet, maioris, in tertia, minoris. Suntq; hi modi. Cesare. Festino. Darapti. Felapton.
Da-

Datifi. Ferison. Vel conuersione pariter & transpositione præmissarum, vt in Camestres & Disamis: Vbi prius transponi propositiones oportet. Deindè conuerti in Camestres eam, quæ maior, in Disamis eam, quæ minor facta est. Vel deniq; deductione ad absurdum. Vt in Baroco & Bocardo. Qua de re nunc dicemus.

CAP. III.

De abductione ad absurdum.

Syllogismus alius dicitur *directus*, *δεικτικὸς*, qui sumtis duabus præmissis, quæ veræ sunt,

DE SYLLOGISMO.

sunt, aut pro veris habentur, conclusionem quoque ex ijs veram deducit eam ipsam, quam probare instituit. Alius dicitur *indirectus* siue *per absurdum*, probans $\delta\iota\alpha\delta\omega\acute{\alpha}\tau\epsilon\varsigma$: cum conclusionis, quam probare volumus, contradicentem sumimus: eiq; adiungimus aliam veram propositionem, aut pro vera habitam, & ex his duabus præmissis deducimus conclusionem manifestè falsam & absurdam, aut certè contrariam vel contradicentem alteri, quæ prius fuit concessa tanquam vera.

Cum igitur Syllogismum
in

in Baroco vel Bocardo ad primam figuram reducere propositum est: accipimus eum, cuius vtraq; præmissa ab aduersario concessa est: At nihilominus in dubium vocatur, ecquid illi modi necessario concludant. Tanquam igitur falsa esset conclusio, accipimus eius contradicentem, quæ est vniuersalis affirmans, ex eaq; & altera vniuersali affirmanti præmissis deducimus similem conclusionem in Barbara, quæ cōclusio contradicit alteri præmissarum prioris syllogismi. V. g. Baroco. Omne graue mergitur.

E

Qui-

DE STILLOGISMO.

Quidam lapis non mergitur.
Quidam igitur lapis non est
gravis.

Sic probatur. Omne gra-
ue mergitur. Omnis lapis est
gravis. E. omnis lapis mergi-
tur.

Bocardo. Quidam homo
non sapit. Omnis homo est
rationalis.

Ergò quoddam irrationale
non sapit.

Sic reducitur. Omne ra-
tionale sapit. Omnis homo
est rationalis. E. Omnis ho-
mo sapit.

Non est autem ignoran-
dum, quamlibet conclusio-
nem

nem directè & per absurdum
probari posse: seruatis iisdem
terminis, non tamen in vna
eademq; figura.

CAP. IIII.

De Syllogismis prima figura.

Quia autem prima figura
omnium aliarum fundamen-
tum est, amplius de ea dicen-
dum est. Ac primum illud no-
tari debet, quod *in prima figu-
ra* conclusiones omnis gene-
ris, *in secunda* duntaxat ne-
gantes, *in tertia* non nisi parti-
culares colligi possunt & de-
monstrari. Perfectissima igi-
tur est prima figura, tum hoc

DE SYLLOGISMO.

nomine, tum quod euidenter congruat ad principia syllogismorum. Quod verum est non modò de absolutis, sed etiam de modalibus Syllogismis.

Nam quod & quomodo verum est de toto, hoc & eodem modo verum est de parte. Vndè apparet in prima figura conclusionem semper assimilari Maiori propositioni, tum quoad modum, tum quoad qualitatem. Nempe igitur.

Si

Si maior est	{ affirmans }	conclusio item erit	{ affirmans.
	negans		negans.
	absoluta		absoluta.
	necessaria		necessaria.
	{ contingens }		{ contingens.

Vt autem in propositione prædicatum vel absolutè pronunciatur de subiecto, vel cum modo *Necesse est* vel *Contingit*: Sic etiam subiectum trifariam sumi potest.

Neque illud prætermittendum, vocem, *Contingit*, bifariam accipi posse, siue prædicato, siue subiecto addita sit: de quo duplici significato dictum antea est.

Cum igitur medium, quod in maiore subijcitur, in mino-

DE SYLLOGISMO.

re prædicetur; oportet vt similiter accipiatur in minore propositione, sicuti in maiore sumtum est. Quia per regulam Dicitur de omni & Nullo, minus extremum tanquam pars, in minore propositione medio termino tanquam toti includitur Si igitur subiectum in maiore accipitur absolute, minor propositio erit absoluta. Sin cum modo *Necesse est*, minor erit necessaria. Sin cum modo *Contingit*, minor erit contingens. Deniq; si subiectum maioris fuerit nomen infinitum, minor quoq; propositio erit infinita affirmans.

V. g.

V g. Qui non credit non sal-
uatur: Iudæi non credunt.
Ergo Iudæi non saluantur.

CAP. V.

*Methodus vitia Syllogismo-
rum deprehendendi &
arguendi.*

Proposito syllogismo, o-
mnium primum respicien-
dum est ad formam: quæ si
congruat ad figuras & modos
syllogismorum antea traditos:
postea dispiciendum, ecquid
propositionum altera simpli-
citer falsa sit. Talis enim syl-
logismus nihil probat. Quod
si neq; in forma vitium, neq;

E 4 in

- DE SYLLOGISMO.

in propositionibus falsitas vlla deprehendatur: Videndum porrò est, sitne aliqua vel in simplicibus vocibus, vel in oratione ambiguitas, quæ distinctione egeat. Postremò si nulla in verbis sit ambiguitas, & quod concluditur falsum tamen sit: necessarium est, vt vel altera propositionum, vel vtraque non simpliciter vera sit, sed limitatione aliqua indigeat. V.g. Fugiendum omninò est quicquid inebriat. Vinum & cereuisia inebriant. Ergo, etc. In hoc autem syllogismo est ambiguitas. Duo & tria sunt paria & imparia. Quin-

Quinque sunt duo & tria. Ergo, etc.

Si igitur neq; in forma vitium, neque altera propositio prorsus falsa est: per distinctionem respondere oportet, respiciendo ad verba & res ipsas.

CAP. VI.

De alijs argumentationum formis.

Enthymema imperfectus Syllogismus est. Desideratur enim altera præmissarum.

V.g. Omnis homo est rationalis. Ergò omnis homo est disciplinæ capax.

E 5 So-

DE SYLLOGISMO.

Sorites Syllogismus est cōpositus ex duobus vel pluribus, in quos resolui debet & potest. Exemplum est apud Cicer. Quod bonum est, id etiam expetendum: Quod expetendum est, id placet. Quod placet, id diligendum est: quod diligendum est, id etiam probandum est: Quod probandum est, id etiam laudabile est: quod laudabile, id honestum: Ergò quod bonum est, id quoq; honestum est.

Inductio ex singularium vel particularium sufficienti enumeratione vniuersale quiddam extruit, omnia illa complectens. Exemplum. Vinum

DE SYLLOGISMO.

Germanicum, Italicum, Hispanicum, Gallicum, Creticum, Vngaricum calefacit: nullumque reperitur vinum, quod non calefaciat. Ergo omne vinum calefacit.

Exemplum pertinet ad Rhetores.

CAP. VII.

De syllogismis Hypotheticis.

Sicuti propositiones, ita Syllogismi Hypothetici alij sunt connexi, alij disiuncti. Connexorum duo sunt modi. I. Qui posito antecedente ponit & consequens. Si dies est, sol ortus est. Si iustus non est,

E 6 **est,**

DE SYLLOGISMO.

est, nec vir bonus est. 2. Qui sublato conſequentē tollit antecedens. Atqui ſol ortus non eſt. E. Dies non eſt. Atqui Vir bonus eſt. E. iuſtus eſt.

Diſiunctōrum quoque duo ſunt modi. 1. Qui poſita vna tollit alteram partem diſiunctæ propoſitionis. Quod ſi plura fuerint diſiunctæ propoſitionis membra, poſito vno cætera tolluntur omnia. Anima aut corporea, aut incorporea eſt. Aqua calida, aut frigida, aut tepida eſt. Atqui tepida eſt. E. 2. Qui remotione vnius aut plurium, ponit & concludit id, quod re-
lin-

linquitur. Atqui anima non
est corporea. Ergo incorpo-
rea. Atqui aqua neq; calida
neq; frigida. Ergo
tepida est.

FINIS LIBRI TER-
TII LOGICÆ
GENERALIS.

E 7 LO.



DE DEMONSTRATIONE.

LOGICÆ

specialis

LIBER PRIMUS.

DE DEMONSTRATIONE.

CAP. I.

*Quid sit demonstratio, de quæ
partibus demonstrationis, &
de quæstionibus scien-
tificis.*



VAtuor sunt ge-
nera quæstionum,
quarum explicati-
one perfecta cuius-
que rei scientia constat. Nem-

pe.

pe. An sit. Quid sit. An hoc
 insit illi, & Cur insit. Porro
 cum de accidentibus agitur,
 coincidunt duæ illæ quæstio-
 nes: An sit, & An hoc insit illi.
 Sitne Eclipsis Lunæ, & an Lu-
 na deficiat.

Neq; verò satis est, nosse
 hoc solum, quod Luna defi-
 ciat: sed causam quoq; cur de-
 ficiat, scire oportet. Neque
 quod respiret animal, satis est
 vt noueris, nisi etiam cogni-
 tum habeas, quomodo & cur
 respiret: quod per demonstra-
 tionem cognoscitur.

Demonstratio igitur est
 Syllogismus, quo proprium

DE DEMONSTRATIONE.

accidens subiecto inesse probatur, & ostenditur per causam propriam & æquatam.

Subiectum scientiæ ac demonstrationis dicitur, cuius species, partes, principia & propria accidentia considerantur in scientia. Essentia quidem subiecti definitione explicatur, cuius nulla est demonstratio. Sed propria accidentia demonstrantur de subiecto suo per causam.

Partes demonstrationis tres sunt. 1. *Subiectum* de quo dixi. V. g. Animalia quæ pulmonem habent. 2. *Propria affectio* seu proprium accidens

dens V. g. Respirare. 3. *Medium siue causa*: & propositiones atque principia: per quæ proprium subiecto inesse ostenditur. V. g. Respirationem factam esse propter conseruationem caloris, in quo vita consistit. Unica autem demonstratio omnibus illis quatuor quæstionibus satisfacit. Qui enim scit, cur hoc insit illi, is etiam nouit, quod sit, & quod insit: & denique quid sit proprium accidens.

CAP. II.

De principijs Demonstrationum.

Om-



DE DEMONSTRATIONE.

Omnis demonstratio oritur ex principijs quibusdam, & in ea definit, quæ principia demonstrari nequeunt, saltem in ea scientia, in qua tanquam principia sumuntur. Huiusmodi sunt primum definitiones, quæ in artibus & scientijs non demonstrantur. V. g. Triangulus est figura habens tria latera & tres angulos. Et definitio circuli, etc. Deindè ea quæ vocantur axiomata V. g. Totum est maius parte. Et æqualia si addas æqualibus, etc.

Huc referri possunt, quæcunq; intellectui perse nota sunt.

sunt. Et quæ per experientiam siue observationem cognita sunt.

Tertium genus principiorum vocantur *Hypotheses*, quas artifex sumit tanquam veras. Differunt hæ ab axiomaticis & definitionibus; quod definitiones quid sit res explicant. Axiomata autem nota sunt discipulo etiam priusquam ad doctorem accedit. Quorum neutrum inest Hypothesibus. qualis est: Quod omnes recti anguli inuicem æquales sunt, & quod duæ rectæ lineæ spacium non comprehendunt.

In Hypothesibus compre-
hen-

DE DEMONSTRATIONE.

henduntur etiam, quæ vocantur postulata αἰτήματα, quæ sibi doctor concedi vult, & petit tanquam necessaria ad demonstrationem. V. g. A quolibet puncto ad quodlibet rectam lineam duci posse. Ad quodlibet punctum & interualum circulum describi posse.

CAP. III.

*De Medio demonstrationis,
deq; propositionibus Apo-
dicticis.*

Medium demonstratio-
nis est causa proxima & im-
mediata propter quam acci-
dens inest subiecto. V. g. In-
ter-

terpositio terræ inter Lunam & solem causa est eclipsis Lunæ. Ex huius medij cum extremis complexu nascuntur propositiones Apodicticæ, quas non modò veras, sed & necessariò veras esse oportet; & causam continere in se proximam, per quam accidens inest subiecto. Demonstratio est.

Quoties Luna inter solem & nostrum aspectum interponitur, sol supra terras existens terras non illuminat, & vice versa.

At quoties sol deficit, toties Luna inter solem & nostrum
strum

DE DEMONSTRATIONE.

strum aspectum interponitur
& vice versa.

Ergò quoties Sol deficit,
toties supra Horizontem exi-
stens terras non illuminat, &
vice versa.

Ad eundem modum:

Quoties terra inter ☉ & ☾
interponitur ex Diametro,
Lunam lumine solis orbari
necesse est & vice versa.

At quoties Luna obscura-
tur seu deficit, toties fit illa in-
terpositio, & vice versa.

Ergò quoties Luna obscu-
ratur, toties priuatur lumine
so-

solis & vice versa. Termini
omnes sunt reciproci.

Necessitatis autem tres
sunt veluti gradus 1. Vt pro-
positio sit *de omni* κατὰ πάντας,
id est, vniuerse & semper ve-
ra. 2. Vt sit *per se* καθ' αὐτό: id
est, Vt prædicatum subiecti,
vel hoc illius definitionem in-
grediatur. 3. Vt sit καθόλου πρώ-
του, id est, vt prædicatum, sub-
iecto competat, quatenus sub-
iectum est id ipsum & non a-
liud.

Porro vnus quidem est pri-
marius Syllogismus integram
demonstrationem continens:
cuius omnes termini inter se
re-

DE DEMONSTRATIONE.

reciproci sunt. Sed plures ferè sunt Syllogismi, in quos primarius ille resolvitur, seu retextitur: & quorum singuli partem quandam integræ demonstrationis continent. In his minor propositio non est reciprocè vera, vt neque conclusio.

CAP. IIII.

De alijs demonstrationum generibus, quibus nomen hoc minus propriè competit.

Hucusque diximus de verissima & proprijsimè vocata demonstratione, quæ proprium

prium subiecto inesse docet, per causam proximam & immediatam, neq; in alio modo concluditur præterquam in Barbara. Tribuitur autem demonstrationis nomen etiam alijs quibusdam Syllogismis, sed minus propriè. Quales sunt negantes demonstrationes. Et ex affirmantibus illæ, quæ fiunt per causam remotam, vel per effectum, quo tanquam signo causa arguitur. Est & demonstratio, quæ fit per absurdum. Quarum omnium exempla singula adscribam.

F Per

DE DEMONSTRATIONE.

Per causam remotam fit hæc demonstratio.

Quæcunque animam habent, nutriuntur & crescunt.

Plantæ animam habent.
Ergò, etc.

Hic autem demonstratur causa per effectum.

Quæcunq; nutriuntur & crescunt, animata sunt. Stirpes nutriuntur & crescunt.
Ergò, etc.

Negans demonstratio est.

Omne respirans est animal. Planta non est animal.
Ergò non respirat.

Ex-

*Exemplum demonstrationis per
absurdum.*

Quicquid sentit, etiam
mouetur loco. Planta sentit.
Ergò Planta mouetur loco.
Directè sic: Quicquid sentit
mouetur loco. Planta non
mouetur loco. Er-
gò non sen-
tit.



DE QVÆSTIONVM

DE QVÆSTI
ONVM ANA-
LYSI.

CAP. I.

*Questionum simplicium
partitio.*

DVO sunt prima summaq;
quæstionum genera seu
modi. *An sit, & quid sit. An
sit* quæstio quærit vel de The-
mate simplici, id est, de gene-
re vel specie. An sit Tragela-
phus. An Fortuna sit. An sit
Quarta Syllogismorum figu-
ra. An sit Demonstratio. Vel
de Themate coniuncto, de
quo



quo quæritur: An hoc sit illud, vel an in fit illi. An Iuniperus sit arbor. An amici sit dissimulare. An amicitia solum inter bonos.

Quid sit quæstio itidem quærit vel de Themate simplici. *Quid sit* demonstratio. *Quid sit* Geometria. *Quid sit* animal. Vel de Themate coniuncto, cuius exempla sunt. Quod nam sit summum hominis bonum. Cur lien factus sit. Quæ exercitia sint salubria. Quales debeant esse Politici.

Ad quæstionum posterius genus, quo *Quid sit*, quæritur,

F 3

per-

DE QUÆSTIONVM

pertinet etiam *Quotuplex sit* quæstio, quæ etiam vel de simplici Themate quærit, V. g. *Quotuplex sit virtus vel amicitia. Quot sint species Rerumpub. Quot sint partes animi humani: vel de Themate coniuncto. Quotuplex sit vsus linguæ, narium, colli.*

Ordo harum quæstionũ hic est. *Quid sit* quæstio præcedit & sequitur quæstionem *An sit*. Siue de simplici, siue de complexo Themate quærat. Nominis explicatio præcedit, definitio rei ferè consequitur.

Quæstio Quotuplex sit v-
trami-

tramq; ex prædictis consequitur: quandoq; præcedit, præsertim cum de nominis aut verbi ambiguitate quæstio est. Deniq; quæstiones de Themate simplici præcedunt eas, quibus quæritur de Themate conjuncto.

Rursus quæstionem *quid sit* de conjuncto Themate, antecedit & sequitur quæstio an sit. An aliquis sit lienis usus. Quis sit Lienis usus. An lienis usus sit expurgare Melancholiam.

Omnes autem hæ sunt quæstiones simplices: quia ad eas respondetur oratione sim-

DE QUÆSTIONVM

plici, in qua vnum prædicatur
de vno. Tragelaphus est. Tra-
gelaphus est quadrupes.

Quæstio *An hoc sit illud*
quadruplex est, vt in Topicis
docet Aristoteles. Vna acci-
dentis, qua quæritur: An hoc
de illo dici possit affirmando.
An voluptas sit bonum. An
expetendum. An bonum o-
mne hominem efficiat me-
liorem.

Secunda est quæstio gene-
ris, qua quæritur non modò
an hoc omni illi competat,
verum etiam an de eo prædi-
cetur in quid sit, siue vt Ge-
nus.

nus. An amicitia sit virtus.

An virtus sit scientia.

Tertia est quaestio proprii, qua quaeritur, an hoc illi omni & soli insit, & cum eo possit conuerti. An soli homines rideant.

Quarta & postrema est quaestio definitionis, qua quaeritur an attributum explicet sententiam subiecti. Haec quaestio praesupponit tres praecedentes. Primum enim constare oportet. An attributum insit vel competat omni alteri. Deinde an de eo praediceatur in quid sit. Tertio an soli competat, & cum eo conuer-

DE QUÆSTIONVM

tatur. Tandem quæritur an prædicatum sit definitio subiecti.

Quæstio etiam, qua de Themate coniuncto quæritur, *Quid sit*, non vnius est generis. Aliæ enim sunt essentielles quæstiones, aliæ causales, aliæ accidentales. *Essentiales* sunt, cum quæritur, in quo genere sit olea. Quæ sit differentia Specifica animalis. Quæ sint partes rei, quæ species. In quo subiecto primò & per se insit accidens. *Causales* voco omnes, in quibus quæritur de causa vel effectu.

ctu. Reliquæ omnes rectè dicentur *accidentales*.

CAP. II.

De distinguenda vocum & orationis ambiguitate.

Proposita quæstione, si quid in ea obscurum est, interpretari, si quid ambiguum, distinguere oportet: vt certò constet, quid de quo interrogetur. Ambiguitas autem & obscuritas vel in simplicibus vocabulis, vel in oratione consistit.

Ambiguitas deprehenditur & explicatur primum ex contrarijs alijsq; oppositis: Deindè ex conjugatis & casibus.

DE QVÆSTIONVM

sibus. Tertio ex genere & definitione. Quarto ex connexis, id est, ex attributis, & ex ijs, de quibus nomen vel oratio prædicatur. De quibus omnibus sigillatim dicendum est.

Ex oppositis si alterum fuerit ambiguum, alterum quoque erit. Et, si vni plura sunt contraria, vox ambigua est. Sic graui leue & acutum opponuntur. Et aliter pumex dicitur leuis; aliter homo inconstans.

Similiter si ex coniugatis & casibus vnum ambiguum est, cætera quoque ambigua sunt.

Quod

Quod si eorum, quæ eodem nomine appellantur, genera aut definitiones diuersæ sunt: nomen ambiguum esse oportet. V. g. Cancer morbus, & cancer piscis.

Deniq; ambiguum nomen est, quod cum diuersis rebus tribuitur, aliter atq; aliter interpretandum venit. V. g. Sonus acutus, culter acutus, ingenium acutum. Similiter considerata sunt attributa. V. g. Fides pro chorda tenuis dicitur vel crassa, quæ attributa non competunt fidei.

Similiter explicari debent

F 7 - ac

DE QUÆSTIONVM

ac possunt phrasēs seu orationes ambiguae. vt sunt, inesse in aliquo. Habere aliquid.

Obscuritas autem, quæ in vocibus vel oratione inest, explicabitur per alias voces & orationes idem significantes. vt si pro Eclipsi dicamus obscurationem Lunæ.

CAP. III.

De quæstionum analysi.

Postquam omnis quæ erat in verbis & oratione vel ambiguitas vel obscuritas sublata est: sequitur ut quæstionem primum dissoluamus in voces simplices, siue in nomina &

ver,

verba, id est, in subiecta & prædicata, & in ea, quæ subiectis vel prædicatis adduntur limitandi causa. De singulis autem his quæri potest (nisi jam constet) An sit, Quid sit, & Quotuplex sit quodlibet horum.

Quod si quæstio composita fuerit, posthæc eam dividere oportet in orationes & quæstiones simplices, quas vel actu vel potestate in se continet. Quæstiones simplices nunc intelligo eas, quibus quæritur de themate complexo siue de oratione simplici: de qua similiter trifariam quæ-

DE QUÆSTIONVM

quæri posse diximus. Nempe.
An sit, Quid sit, & Quotuplex
sit. Vbi quæstionem sic dis-
solueris, opera^danda est, vt
simplicia, priusquam compo-
sita explicentur, illa (inquam)
simplicia, sine quibus, com-
positum explicari nequit. V.g.
prius scire oportet, quomodò
plantæ, & quomodò anima-
lia generentur & nutriantur:
priusquam constare possit,
quibus in rebus conueniant
vtrorumq; generatio vel nu-
tritio, vtq; differant.

Cap.

CAP. IIII.

*De rerum ipsarum, quæ in quæ-
stionem veniunt explica-
tione.*

Absq; simplicium vocum
seu thematum definitione &
partitione quæstio nulla ex-
plicari potest. Vt autem rectè
definias ac diuidas, scire oportet,
in qua Categoria, quodlibet
illorum sit. Omnibus et-
jam quæstionibus commune
est, ut quid de proposita quæ-
stione pro & contra dici pos-
sit, ex locis argumentorum
dispiciamus. Nam & defini-
tio & diuisio argumentis to-
picis

DE QUÆSTIONVM

picis disputantur. Eas tamen quæstiones excipio, quæ sensibus, vel per obseruationem & experientiam dijudicandæ veniunt. V. g. An adamas magneti ferrum eripiat. An cor in medio thoracis situm sit. Sed cauendum in his est, ne à sensu vel experientia decipiamur.

Multa quoq; sunt, quæ ex historia, & quæ ab autoritate diuina aut humana fidem accipiant.

Quibus missis dicendum amplius est de *Obscuris* quæstionibus, quibus quod quæritur, ratione & agitatione men-

mentis vestigandum est. Proposita igitur id genus quaestione, subijciendæ sunt omnes anticipatæ notiones, quæ ad propositum explicandum facere videntur. *Anticipatas notiones* voco tum ea, quæ ex sensu vel obseruatione nota sunt de re proposita, quò pertinet historia: tum ea quæ posita sunt in communi hominum opinione: tum deniq; sententias & argumenta artificum & sapientum, qui scripserunt de ijs rebus, aut quos docentes audiuiimus. His suppositis aggrediendum

DE QUÆSTIONVM

dum est, vt inueniamus, quod
quærimus, ex locis argumen-
torum, quos infra trademus:
vt sunt opposita, conjugata,
similia, totum & partes, diffe-
rentiæ & communitates re-
rum, comparata, causa & ef-
fecta, accidentia & subiecta.
Ex his (inquam) locis inuesti-
gandum est, quod quærimus,
& argumenta promenda, quæ
in vtramq; partem adferri
possunt: vt ex horum colla-
tione tandem eliciamus id,
quod verum est, & quod
quærimus.

De

DE RATIONE
DEFINIENDI ET
DIVIDENDI.

CAP. I.

*De partibus & speciebus de-
finitionis.*

DVæ sunt partes definitio-
nis, nempe genus verum
& proximum, & differentia
specifica. *Per genus* res quæ de-
finitur ab omnibus diuersi,
per differentiam ab omnibus
ejusdem generis rebus alijs se-
cernitur & separatur. His i-
gitur duabus partibus com-
plentur definitiones subje-
cto-

etorum. *Accidentis* autem *perfecta* definitio constat ex tribus partibus, nempe ex genere, & subiecto, & causa.

Atq; hæ, quas diximus, sunt *essentiales* definitiones. Alia autem est *nominalis*, seu *verbalis* definitio subiecti vel accidentis, quæ nihil aliud est, quàm nominis aut verbi aut orationis interpretatio quædam V. g. condicere est promittere. Tragelaphus animal est partim hirco partim ceruo simile. Hoc genere definitionum plena sunt *lexica*.

Deniq; inter *essentialem* & *nominalem* definitiones
in-

interuenit & medium obtinet
aliud genus, quod essentiam
rei attingit, & explicat, licet
imperfectè, vt si quis definiat
rem per genus remotius, aut
per proprium, aut per acci-
dentium congeriem, aut per
aliud accidens in eodem sub-
jecto.

Huc & illæ definitiones
referri possunt, cum in defe-
ctu veri generis pro eo po-
nuntur vel partes generis, vel
genus relatiuum, vel transla-
tum vel aliud æquiuocum.

Postremo non est igno-
randum accidens quandoq;
definiri per genus & subje-
ctum,

DE DEFINIENDI

ctum, causa omiffa. Sed definitio hæc imperfecta eft.

CAP. II.

Generalia præcepta de ratione definiendi.

Primum opeta danda eft, vt verum & proximum genus inueniamus. Deindè vt differentiam specificam.

Genus autem proximum facilè & certo inueniri nequit, nifi in quo prædicamento res fit, cognitum habeamus & in qua eius prædicamenti classe, vt fi qualitas fit, in quo genere qualitatis. Inuento autem genere vel summo vel alio

alio remotiore & communiore, subdividendum est genus hoc, donec perueniatur ad genus proximum: quod postea in suas essentielles seu specificas differentias dividere oportet. Ad faciliorem autem generis ac differentiae inuentionem conducet etiam consideratio oppositorum, coniugatorum, disparatorum, similium ac dissimilium, sed quae tamen cognata sunt rei propositae, & denique propriorum ipsius rei accidentium, ex quibus saepe in propriae essentiae cognitionem deducimur. Neque praetermittendae

G

sunt

DE RAT. DEFINI.

sunt anticipatæ notiones de
voce ac re proposita, in qui-
bus est & nominis seu vocis
explicatio.

Aristoteles in Analyticis
generis & speciei definitio-
nem vestigare docet hoc mo-
do: Nempe genus aliquod
cum definire voles, species
eius generis omnes aut saltem
præcipuas considerabis, &
quæ de ipsis essentialiter præ-
dicantur, hoc est, quæ ipsis
necessariò insunt, neq; ab eis
separari possunt. Quibus præ-
dicatis omnibus collectis, si
exceperis ea, quæ cuiusq; spe-
ciei propria sunt, reliqua ge-
ne-

neris definitionem constituent. Similiter speciei definitio ex consideratione individuorum colligitur & eruitur.

Sicuti autem in generis definitione nihil quicquam, quod unius speciei proprium est, vel quod non omnibus conueniat speciebus admitti debet: ita vicissim in definitione speciei nihil eorum debet repeti, quæ ad totum genus pertinent.

Contrariorum definitiones contrariæ sunt ex toto vel ex parte.

Partes ferè definiuntur

G 2 cum

DE RAT. DEFINI.

cum mentione totius. vicif-
simq; totum seu integrum per
suas partes non rarò defini-
tur.

Effecta definiuntur per
causas vel omnes, vel aliquas:
& maximè per causam fina-
lem.

CAP. III.

*Specialia præcepta de definien-
dis singulis Categorijs.*

De substantiarum defi-
nitionibus præter ea, quæ di-
cta sunt, hæc notanda sunt.
Primum quod partes anima-
lium & plantarum definiun-
tur per vsum quem præstant
toti.

toti. Deindè quod plæræq; ultimæ species definiuntur per coaceruationem accidentium: propterea quod specificæ earum differentiæ ignotæ sint.

Accidentium quædam definiuntur absq; mentione subiecti, vt sunt quantitates seu magnitudines abstractæ, & numeri ac figuræ mathematicæ: vocanturq; definitiones hæ *κατὰ ἀφαίρεσιν.*

Alia omnia accidentia definiuntur cum mentione subiecti, & vocantur definitiones, *κατὰ προσθεσιν.* Quandoq; autem exprimitur subiectum,

G 3

quan-

DE RAT. DEFINI.

quandoq; latet & subintelligitur. Latet autem vt plurimum in voce generis. V. g. Grammatica est ars rectè loquendi & scribendi. Cum verò vnius accidentis plura subiecta esse queant, sciendum, in definitione illud exprimi debere, cui primò & proximè & per se inest accidens: vocaturq; πρώτον δεκτικόν.

Habitus & potentia naturales quia facultatem significant, oportet in eorum definitionibus loco differentia ponere non modò subiectum in quo sunt, sed & eam rem, cuius facultatem præbent.

Pa-

Patibiles qualitates & πάθη
definiuntur tum per subje-
ctum, in quo sunt vel recipi-
untur, tum per causas vel ef-
fectiones proprias, proximas
& immediatas. Aut enim istæ
qualitates antecedunt aut
consequuntur mutationem
corporis vel animi. Cum an-
tecedunt causæ sunt, itaq; de-
finiuntur per proprias effe-
ctiones, cum consequuntur
effectus sunt: itaq; rectè de-
finiuntur per proprias cau-
sas.

Relatiua definiuntur per
se mutuo. Ac Relatio quidem
ipsa siue abstractum semper

DE RAT. DEFINI.

definiri debet per genus relatiuum. Sed relatiua seu concreta quandoq; definiuntur per genus absolutum, cui primò & per se insunt siue accidunt. V. g. *Æquales* dicuntur duæ quantitates, quarum altera alteram non excedit. *Æqualitas* autem est duarum quantitatum ad inuicem conuenientia.

Loco autem differentia in relatiuorum definitionibus accipitur correlatiuum cum suo subiecto, quod si non exprimitur, tamen subintelligitur. V. g. *Duplum* est excessus dimidij.

Si-

Situm esse & *habere* necessario etiam definiuntur per subiectum. Nam *situm esse* significat figuram sed in corpore. *Habere* autem consistit inter duo subiecta, quorum alterum habet, alterum habetur.

Ubi & *quando* quia tanquam denominatiua sunt à loco & tempore, similiter vt hæc definiuntur mutatis tantum casibus. *Ruri esse* est in agro esse, quia *rus* agrum significat.

Agere & *pati* vt rectè definias, agentis patientisq; & mutationis mentio faciendâ

G 5 & im-

DE RAT. DEFINI.

& inprimis termini ad quem.
Deniq; actiones & negotia.
humana, quia variant secun-
dum circumstantias, absq; his
definiri nequeunt: sicuti &
virtutes morales, quæ in a-
gendo spectantur.

CAP. IIII.

*Quot modis reprehendatur
definitio.*

Definitiones reprehendi
possunt sex modis. I. Si ea
quæ in definitione posita
sunt, vel non insint omni sub-
iecto, vel prorsus non insint.
Debet enim quicquid in defi-
nitione ponitur inesse omni
de-

finitio, idq; semper & necessario.

II. Si genus omissum sit, cum tamen extet, aut si verum proprium & vernaculum genus positum non sit.

III. Si definitio non competat soli definito, id est, si latius pateat quam definitum, neq; possit conuerti.

IIII. Si non explicet essentiam rei.

V. Si fuerit obscura.

VI. Postremo si aliquid in definitione redundet. Nam & perspicua & breuis esse debet bona definitio.

Deniq; definitio eadem

G 6

fit

DE RAT. DEFINI.

fit oportet cum definito.
Quæ verò eadem sunt, de omnibus ijsdem prædicantur, & omnia eadem de illis, id est, quæcunq; de vno illorum prædicantur, eadem & eodem modo etiam prædicantur de altero. Et de quibus unū illorū prædicatur, de ijsdem & eodē modo prædicatur alterum.

CAP. V.

De diuisione, quotuplex sit, deq; differentijs, per quas dividamus, inquirendis.

Diuisionis quinque recensentur genera. 1. Diuisio generis in species. 2. Partitio integri in partes primum maiores,

res,

res, deindè minores, quæ vocatur anatome. 3. Diuisio subiecti in accidentia V. g. Hominum alij serui alij liberi sunt. 4. Accidentis in subiecta. vtilium alia sunt animata, alia inanimata. 5. Accidentis in accidentia. Bonum in honestum, vtile & iucundum.

Omissis autem alijs dicemus nunc de diuisione generis in species, quæ fit per differentias, quæ petuntur vel ab essentia rei, vel à proprijs accidentibus, quæ essentiam rei proximè consequuntur. Genus igitur quod diuidere

DE RAT. DEFINI

voles prius definitione explicandum est: vt ex ea differentias venemur ad definiendum ac diuidendum aptas: cuius modi sunt, quæ & propriae sunt generis, & quæ generi adiunctæ speciem constituunt, de qua genus prædicetur in quid sit. Quod si species vel quædam vel omnes nobis cognitæ sunt, eas inter se conferre oportet, & videre, in quibus vel conueniant vel differant.

Atq; ita partim ex definitione generis, partim ex specierum consideratione elicere

re

re differentias, per quas genus diuidamus.

Subiectum quoq; accidentis (siquidem accidens fuerit, quod diuidendum est) perspectum habere oportet. Ex natura enim & partibus subiecti accidentium differentiae petuntur vt plurimum. Excipio tamen figuras Geometricas & eas, quae sine materia considerantur quantitates. Qualitates aliae secundum proprias actiones & effectiones, vel etiam causas proprias & immediatas diuidi possunt & solent.

Relatorum differentia,
pe-

DE RAT. DEFINI.

petuntur vel à correlatiuo vel ab vtriusq; absoluto.

Agere & pati secundum causas diuiduntur vel secundum circumstantias, quæ sunt in definitione generis.

Vbi & Quando diuidi poterunt secundum ea, quæ cuiusq; loci & temporis propria sunt.

Situs differentia petuntur à partibus eius quod situm habet, earumq; varia colloca-tione ac figuratione vel inter sese vel ad locum in quo sitæ sunt: vndè decubitus, pronus, supinus, in latus.

Postremò habere ipsius dif-

differentias inuenire oportet
ex collatione eius quod ha-
bet, & quod habetur.

CAP. VI.

*Quot modis reprehendatur
diuisio.*

Primum reprehenditur
diuisio, si quid fuerit præter-
missum. *Deinde*, cum per di-
uerforum generum differen-
tias diuidimus V. g. Febrium
aliæ vehementes aliæ diutur-
næ. *Tertiò* cum differentiæ
alterius generis propriæ trans-
feruntur in aliud genus V. g.
Dolor alius acerbus vel falsus
vel dulcis. *Quartò* cum dif-
fe

DE RAT. DEFINI.

ferentiæ eiusmodi sunt, vt
absq; genere queant subsiste-
re. V. g. vlcus aliud cum fe-
bre, aliud cum tumore. Nam
febris & tumor consistere
possunt absq; vlcere, & vlcus
absq; illis. *Quintò* cum genus
est vocabulum ambiguum.
vt si quis cancrum diuidat in
morbum & piscem. Nam
hæc non tam rei quam nomi-
nis diuisio quædam est. *Sextò*
cum eadem differentia bis
repetitur. *Septimò*, cum diffe-
rentiæ non sunt pares, sed al-
tera quàm altera latius pa-
ter

Omnis autem diuisio li-
cet

cet plures quam duas habeat
differentias, reuocari & redu-
ci potest ad duas oppositas,
atq; ita per axioma contra-
dictionis demonstra-
ri.

FINIS LIBRI PRIMI
LOGICÆ GENE-
RALIS.

LO-



DE LOCIS

LOGICÆ

specialis

LIBER SECUN-
DUS.

DE LOCIS ARGUMENTORVM.

CAP. I.

Locorum enumeratio.

LOcos vocamus in-
dices argumeto-
rum. Eos hunc in
modum numerare
possis. 1. Definitio. 2. Di-
uisio. 3. Genus & Species.
4. Totum & partes. 5. con-
juga-

jugata. 6. Opposita quatuor
generum, 7. Similia 8. Com-
parata. 9. Causæ & effecta.
10. Accidentia & subiecta. Ex
his locis tum argumenta pro-
memus in vtramq; partem:
tum quod obscurum est in-
uestigabimus. Omne enim
genus quæstionis ex his locis
explicari potest: qua quod
quæritur, rationibus & argu-
mentis decidendum est. Re-
peti autem hoc loco debent,
quæ supra de prædicabilibus,
alijsq; simplicibus notionibus
dicta sunt.

Cap.

DE LOCIS

CAP. II.

*Loci definitionis & divi-
sionis.*

Proposita quaestione, the-
mata simplicia sigillatim de-
finitione, explicanda sunt: &
si quid in verbis vel oratione
obscurum est, interpretari o-
portet. Neq; duntaxat verae
& essentialis definitiones,
sed & descriptiones, quae v-
nius rei plures esse possunt,
viam nobis sternunt ad in-
ventionem eius quod quæri-
mus.

Cum definitione conjun-
gi debet diuisio. plærumq;
enim in speciebus & parti-
bus

bus perspicitur, quod in toto
obscurum est. V. g. vtrum
oppositorum vna sit scientia.
Diuidemus igitur quoties o-
pus erit, genus in species, to-
tum in partes, subiectum per
causas aliaue accidentia, acci-
dens in subiecta, quibus inest,
& in alia accidentia. Neq;
duntaxat rerum, sed & nomi-
num in sua significata diuisio
inspicienda est. Similiterq;
oratio ambigua, quot modis
accipi possit, videndum est.

CAP. III.

*Loci à genere & specie, à toto
& partibus.*

Quod

DE LOCIS

Quod verum de toto genere, verum quoq; est de specie qualibet eius generis. Et cui genus, ei etiam species aliqua competit. At cui nulla species, ei nec genus competere potest.

Partium omnium remotione, remouetur totum. Et cum quæstio est, cui parti insit aliquid, ea pars per aliarum partium remotionem inuestigabitur. Deniq; generis & totius naturam perspectam esse oportet, cum de specie vel parte quæritur.

Cap.

*Loci à conjugatis & oppo-
sitis.*

Magnum quoq; in obscu-
ris quæstionibus explicandis
adjumentū præstant loci con-
jugatorum & oppositorum.
Sub coniugatis autem & ca-
sus complectimur & notatio-
nem nominis, quæ dicitur
Etymon.

Opposita autem sunt qua-
tuor generum. Contraria. Re-
latiua, Habitus & priuatio &
contradicentia. Proposita i-
gitur quæstione obscura re-
currendum est ad conjugata
& opposita. Simul enim hæc
H nos-

DE LOCIS

noscentur, sed ita ut in vno
conjugatorum, casuum vel
oppositorum sæpenumero
perspicuum & manifestum
notumq; sit, quod in alijs ob-
scurum & ignotum est. Con-
sideranda autem non modò
ea, quæ subjecto & prædica-
to quæstionis opponuntur:
verum etiam conjugatorum
opposita, vel oppositorum
conjugata. Quin etiam op-
positorum attributa, quæ vel
vtriq; oppositorum commu-
nia, vel alterius propria sunt.
Et deniq; eorum, quæ de sub-
jecto vel prædicato quæstio-
nis affirmantur, attributorum

op-

opposita : quæ repugnantia
dici solent. Porrò ex opposi-
tis immediatis, posito vno tol-
litur alterum & vno sublato
ponitur alterum. Et contra-
riorum ferè contraria sunt
consequentia. Conueniunt
autem contraria genere &
subiecto. Sed & hæc & alia
quæ huc faciunt, supra à no-
bis exposita sunt, cum de op-
positis & relatiuis egimus.

CAP. V.

*Locus à similibus & ana-
logia.*

Similia ex similibus nosci
constat apud omnes. In rebus

H 2 . igi-

DE LOCIS

igitur obscuris recurrendum est ad ea, quæ sensui aut rationi manifesta sunt, videndumque num in illis simile quid reperire sit, simile (inquam) ei de quo agimus. Atq; vbi inuenieris, simile illud cum re proposita conferendum est ac dispiciendum, quatenus conueniant, quatenus differant. In similibus spectatur analogia, quæ est duorum ad duo similis ratio. Attamen non solum in similibus, verum etiam in causis & effectis, inconiugatis & casibus, alijsque in locis ab analogia ducuntur argumenta.

Lo-

Locus à comparatis.

A maiore ad minus, itemq;
à minore ad maius quadrifari-
am argumentamur. Aut enim
vnum vni comparatur, aut v-
num duobus, aut duo vni, aut
duo duobus. Vnum vni v. g.
Si voluptas bonum est, major
voluptas maius bonum erit.
si minus egere minus malum
est, Egere igitur malum est.

Vnum duobus. v. g. si glo-
ria magis bonum quam diui-
tiæ: Gloria autem non est bo-
num: igitur nec diuitiæ. Quod

H 3 si

DE LOCIS

si diuitiæ sunt bonum, multo magis gloria.

Duo vni V. g. Injuriam facere vtilius videtur esse quam honestius. Quod si igitur vtile non est, neq; honestum erit. Sin honestum est, etiam vtile erit.

Duo duobus. V. g. Magis dolor videtur esse malum, quàm voluptas bonum. Quod si igitur dolor non est malum neq; voluptas bonum est. Quod si voluptas bonum est, multo magis dolor malum.

A paribus autem trifariam argumentamur. Nam vel vnum duobus, vel duo vni, vel duo

duo duobus comparantur.

Vnum duobus V. g. Si gloria & diuitiæ ex æquo bona sunt: sequitur, si alterum eorum bonum est, quod & alterum bonum sit: & si alterum eorum, non est bonum, quod nec alterum.

Duo vni. V. g. Dico iustitiam æquè vtilem & honestam esse. Si igitur utilis, etiam honesta est, & vicissim. Rursus si utilis non est, neq; honesta est & vicissim.

Duo duobus. V. g. Si paria hæc & ex æquo vera sunt, quod dolor sit malum, & voluptas bonum: sequitur, si

H 4 al-

DE LOCIS

alterum horum verum sit,
quod & alterum. Rursus si
alterum non verum, nec al-
terum.

CAP. VII.

Locus à causis & effectis.

Quæstione proposita con-
siderandæ sunt etiam causæ
generantes, conseruantes, cor-
rumpentes, ipsaq; cuiusq; rei
generatio & corruptio. præ-
terea vsus, actiones, opera eo-
rum, de quibus agitur. His
adde materiam ex qua, & cir-
ca quam, quæ dicitur obie-
ctum,

Cauendum autem est, ne
cau-

causas & effectus per se confundamus cum causis & effectibus per accidens. Hinc enim plurima Sophismata & fallaciæ existunt.

CAP. VIII.

Locus ab accidentibus & subiectis.

Accidentia nunc voco omnia quæcunq; hætenus non sunt comprehensa. Hæc quoq; nonnunquam introducunt nos ad inuentionem propriæ ipsius rei essentiæ vel causarum. considerare igitur & circumspicere oportet omnia rei de qua agitur acciden-

H S

tia

DE LOCIS

tia tum propria tum communia, quæ ad nostrum propositum facere, & ad inuentionem eius, quod quærimus seruire posse videntur. Eorum varietas in categorijs exposita est.

A subiecto - etiam argumentum petitur, quando accidens vnum prædicatur de altero. Accidens enim alterum alteri accidere nequit nisi vtrumq; sit in eodem subiecto. Genus quoq; accidentis & species sunt in vno subiecto.

FINIS LOCORVM

De

DE METHODIS ET INSTRUMENTIS DOCENDI.

CAP. I.

*Quid sit methodus & quo-
tuplex.*

Methodus alia gene-
ralis seu vniuersa-
lis, quæ est disposi-
tio partium disci-
plinæ vel scientiæ, quarum
alia post aliam tradi debet.
Alia particularis seu specialis,
quæ in singularum partium
explicatione adhibetur.

Methodi generales duæ
sunt.

H 6

sunt.

DE METHODIS

sunt. Vna Synthetica, quæ à principijs siue à primis rerum causis incipit, & à simplicibus ad composita progreditur. per hanc omnes traduntur scientiæ, siue disciplinæ theoreticæ. Practicæ autem methodo traduntur analytica, quæ à fine incipit, & progreditur ad media, seu principia, quæ ad finem deducunt. Huius proprium est, vt ante omnia præcognoscatur finis, qui efficiendus est, & subiectum in quo est efficiendus.

CAP. II.

*De Methodo particulari siue
de instrumentis docendi.*

Me

Methodus particularis
complectitur instrumenta do-
cendi: quæ sunt definitio, di-
uisio, διακρίσις, ὁμοίωσις & ar-
gumentatio.

Sub definitione & diui-
sione complectimur etiam
nominis interpretationem, &
ambiguitatis distinctionem.

Διακρίσις & ὁμοίωσις sunt nihil
aliud, quam differentiarum &
communitatum consideratio
& explicatio. Sub argumenta-
tione complectimur indu-
ctionem & Syllogismum.

Neq; verò definiendo aut
diuidendo aut distinguendo
aut comparando docere exi-

DE METHODIS

stimandus est, nisi quis omnium horum certas rationes reddat, & argumentis omnia firmet ac probet, quod rectè definiuerit, diuiferit & distinxerit. Quicquid igitur doceas, semper argumentandum, semper ratio reddenda est apertè aut latenter.

FINIS LIBRI SECUNDI
LOGICÆ SPECIALIS.



LO.

DE SOPHIST. ELENC.

80.

LOGICÆ

specialis,

LIBER TERTIUS.

DE SOPHISTICIS ELENCHIS.

CAP. I.

*De quinque Sophistarum
scopis.*

Necessariam esse hu-
jus partis exercita-
tionem Aristoteles
in Soph. Elench. e-
rudite demonstrat. Quem-
admodum enim in rebus na-
turalibus alie verè tales sunt,
quales esse videntur: alie vi-
den-

DE SOPHISTICIS

dentur quidem, reuera autem non sunt: Ita quoq; in Logica Syllogismorum alij verè Syllogismi sunt, alij videntur tantum. Ne igitur statim quicquid splendet aurum esse putaremus, tradidit sapientissimus præceptor modum cognoscendi & coarguendi Sophistarum vitia. Horum enim scopus seu finis erat ad quæstiones captiosas respondentem captiosa ratiocinatione isthuc deducere, vt vel sibi met contradicere videretur, vel asserere aliquid falsum, aut paradoxon seu ab hominum opinione abhorrens, vel

vel vt cogeretur Solæcismum
 committere, & barbarè loqui,
 vel deniq; vt nugari, & idem
 verbum ineptè iterare vide-
 retur. Sunt igitur quinque sco-
 pi seu fines Sophistici 1. E-
 lenchus. 2. Falsum. 3. pa-
 radoxon. 4. Solæcismus. 5.
 Nugatio.

CAP. II.

*De Solæcismo & nuga-
 tione.*

De his duobus Sophista-
 rum scopis primum & bre-
 uiter est dicendum cum ea
 res parum aut nihil faciat ad
 veri inuestigationem. Solæ-
 cismi

DE SOPHISTICIS

cismi autem arguere nitebantur colloquentem per genus neutrum & per casum hoc modo: Quid dicis esse est. Sed lapidem dicis esse, Ergo lapidem est. Item. Hoc tu scis, atq; hoc est lapis. Ergo tu scis lapis. Sed has ineptias pueri leuiter dnntaxat in Grammaticis instituti vident. *Negationem* committi arguebant ex ijs quæ vel per se, vel ratione generis ad aliud referuntur. Per se, vt duplum. Ratione generis vt Medicina, quia est scientia. Duplum est dimidij duplum, & dimidium dupli dimidium, quæ sunt
res

res vna, cum in duplo subin-
telligatur dimidium, & hoc
in illo. Ergo, qui duplum dimi-
dij dicit, vel dimidium dupli-
bis dicit idem, satis enim fue-
rat dixisse duplum. Sed re-
sponderetur, idem non dici,
cum non expressè bis dicitur.
Etsi enim in duplo dimidi-
um, & in hoc illud fit, tamen
non exprimitur. Relatiuum
igitur per suum correlatiuum
si definiatur, non committi-
tur nugatio.

CAP. III.

*Enumeratio locorum Sophi-
sticorum.*

Quo-

DE SOPHISTICIS

Quomodo velint convincere Sophistæ, vel falsum quid & erroneum in alterius oratione ostendere, vel ad absurdum illum deducere, id manifestum euadit ex locis Sophisticis, quorum sex sunt in dictione, & septem extra dictionem in rebus. In verbis seu dictione sunt hi: Homonymia: Amphibolia: Compositio: Diuisio: Prosodia: Figura dictionis. In rebus sunt hi. Accidens: dici secundum quid vt simpliciter: Elenchus: petitio principij, Consequens: Non causa vt causa:

sa: duæ, interrogationes vt
vna.

CAP. IIII.

*De locis Sophisticis in di-
elione.*

*Ex vocabuli ὁμωνυμία seu
multiplici significatione est
hic Elenchus Sophisticus:
canis est animal latrabile.
Atqui canis est sidus: Quod-
dam igitur sidus est animal
latrabile. Item hic: Quicun-
que credunt saluantur: Dia-
boli credunt. Ergò saluantur.
Similiter hic Syllogismus:
Quicunq; habet oculos sanos
is videt: Atqui dormiens ha-
bet*

DE SOPHISTICIS

det oculos sanos: E. dormiens videt.

Ex orationis ambiguitate, quæ est amphibolia, hæ captiones oriuntur: Ajo te Aæcidam Romanos vincere posse. Item. Quod quis videt hoc videt. Sed parietem quis videt, E. paries videt. Sic literas scire duo significant, vel quod literæ sciant, vel quod alius eas sciat.

Ex conjunctione vocabulorum quæ erant disiungenda, vt, est commune mori nulli mors parcat honori. Ibis, redibis non eris captiuus. Consultor sic accipiebat, Ibis, re-

redibis, non eris captiuus.
 Sed oraculum sic intelligebat.
 Ibis, redibis non, eris captiuus.
 In scholis, nota est hæc captio:
 Inutilia non sunt discēda.
 Atqui in philosophia quædam
 sunt inutilia: Ergò philosophia
 non est discenda.

Ex diuisione eorum, quæ
 erāt cōjūgenda: Quod uiuit
 semper immortale est: Homo
 uiuit. E. sēper immortalis est.

Ex prosodia seu accen-
 tu: Qui habet æquum, is
 quoq; bonam causam habet:
 Iste habet equum. E. habet
 bonam causam. Quies est pri-
 uatio motus. Tu es qui es.
 Er-

DE SOPHISTICIS

Ergò tu es priuatio motus.
Quod DEVS fecit inuitè,
fecit coactus. Sed Racemos
fecit in vite. E. coactus.

Ex simili figura appellationis. V. g. valere & nere similia sunt, quo ad appellationis figuram. Sed alterum actio, alterum qualitas. Pulchrè autem docet Aristoteles, figuram dictionis committi, quoties duæ categoriæ confunduntur. vt Quid & quale in illis: Quod emisti, comedisti. Sed crudum emisti. E. crudum comedisti. Quod ego sum tu non es: Ego sum homo. E. tu non es homo.
Ho-

Homo est species: Petrus est
 homo. E. Petrus est species.
 Pater est filij pater. Aristote-
 les est pater. E. Aristoteles est
 filij Aristoteles. Mus rodit ca-
 seum; Mus est Syllaba. E.
 Syllaba rodit caseum.

CAP. V.

*De locis Sophisticis extra di-
 ctionem.*

Extra verba septem dixi-
 mus esse Elenchos, ex acci-
 dente innumerabiles oriun-
 tur captiones, dum acciden-
 tia confunduntur cum rebus,
 quibus accidunt. Sophistæ
 enim accidentia rerum con-

I fun-

DE SOPHISTICIS

fundunt cum rebus ipsis sic,
vt quæcunq; dicuntur de ac-
cidentibus, illa omnia etiam
de rebus ipsis dici velint. V.
g. Quicumq; te dicit esse ani-
mal, verum dicit. Qui dicit
te esse asinum, dicit te esse a-
nimal. E. verum dicit. Hu-
iusmodi illud Aristotelis est.
Qui diuersus est à Socrate, is
ab homine diuersus est. Atqui
Coriscus diuersus à Socrate
est. E. & c. Accidit enim Cori-
sco, vt illud, à quo diuersus
est, homo fit.

II. Ex eo quod simplici-
ter hoc vel illud esse dicitur
& ex eo, quod quadam ex

par-

parte, & non propriè hoc vel illud esse dicitur. Nempè cum id, quod ratione alicuius, & quadam ex parte dicendum fuit esse hoc vel illud, omninò & simpliciter hoc vel illud esse dicitur. Aliud enim est simpliciter dici, aliud, non simpliciter, sed cum aliqua adjectione partis, aut temporis, aut loci, aut affectionis ad alterum, &c. Tale Sophisma est: Non ens dicitur esse opinabile. E. Non ens est. Item hoc: Quicumq; ante Abrahamum fuit, is non est primum natus ante annos 1595. Atqui Christus ante A-

I 2 bra-

DE SOPHISTICIS

brahamum fuit. E. Sed hic paralogismus etiam ad ignorantem Elenchi pertinet.

III. Ex ignorantem enim Elenchi paralogismi oriuntur ex eo, quod non sit constitutum & definitum quid sit Syllogismus aut Elenchus siue reprehensio: siue ex ignorantem definitionis Elenchi fiunt, cum omittuntur quedam ex illis, quæ in definitionibus Syllogismi vel Elenchi ponuntur. Elenchus autem est Syllogismus contradictionis, ratione eiusdem, ad idem, eodem modo, & eodem tempore. V. g. Idem esse duplum

&

& non duplum concluditur
 sic: Duo vnus sunt dupla:
 trium non sunt dupla. Qua-
 re idem duplum est, & non
 duplum. Huc referri potest et-
 jam antè relatus paralog. Qui
 visu præditus est, videt. Qui
 dormit, visu præditus est: i-
 demq; non videt.

III. Ex eo, quod absq;
 probatione sumitur illud,
 quod in disquisitione positum
 est. Quot autem modis postu-
 letur petitio docet Arist. in 8.
 Top.

V. Ex consequente. Cum
 putamus consecutionem esse
 reciprocam, vt. Omnis ho-
 I 5 mo

DE SOPHISTICIS

mo est animal. Equus est animal. E. equus est homo. Bibliothecam habet instructam. E. est doctus. Mel est flavum & Fel. Igitur Mel est Fel.

VI. Ex eo quod pro causa ponitur licet minimè causa sit, cum videlicet conclusio non consequitur ex propositionibus ex quibus infertur. Hæc captio à Sophistis adhibetur in deduct. ad absurdum, cum Hypothesis non est causa absurdi eius, quod indè deducitur. V. g. Si quis animalium corpora ex aqua & terra constare assereret hoc modo: Ex quibus reficitur substantia
ani-

animalium ex iisdem compo-
 sita est & genita. Atqui refici-
 tur ex aqua & terra. E. Huic
 Syllogismo occurrit Sophista:
 Ex quibus reficiuntur anima-
 lium corpora, ex illis con-
 stant. Atqui reficiuntur ex
 pane. E. Resp. Reficiuntur
 ex pane, non quoad panis, sed
 quoad constat ex aqua & ter-
 ra.

VII. Ex eo, quod plures
 interrogationes, quasi sint v-
 na interrogatio confusè inter-
 rogantur, atq; ita respondetur
 simpliciter tanquam ad vnam
 interrogationem. V. g. Si
 quærat quis. Desijstine fur-
 tum

DE SOPHISTICIS

tum committere? capieris
si simpliciter respondeas Et-
jam vel Non. Est enim du-
plex quæstio. Nempè fecisti
nè furtum? & desijstine face-
re?

CAP. V.

*De modis soluendi captiones
Sophisticas.*

Ne decipiamur à Sophi-
stis in genere duo hæc
præcepta teneantur. I. Cau-
tè respondendum esse, ne-
que ad omnes quæstiones,
Etjam aut Non, simpliciter
respondendum. 2. Si generi
aliquid contrarium est, con-

tra-

trarium quoque esse speciei,
 licet hoc sit ἀνώυμορ. Solutio
 autem Elenchi est patefactio
 causæ principis, propter quam
 falsa conclusio efficitur. O-
 mnes etjam Elenchi adhibita
 distinctione soluuntur. I. &
 II. Ex Homonymia & am-
 phibolia captiones vt soluas,
 medium terminum in dictio-
 ne vel oratione distinguas in
 sua significata, vt videre pos-
 sis, quomodo in maiore, &
 quomodo sumatur in mino-
 re. II & III. Captio ex di-
 uisione soluitur per compo-
 sitionem. Ex compositione
 per diuisionem. V. captio ex
 pro-

DE SOPHISTICIS

profodia seu accentu per distinctionem accentus & Spiritus, diphthongi & vocalium, breuium & longarum syllabarum. VI. Captio ex simili figura appellationis soluitur ex distinctione prædicamentorum, quæ ob similem dicendi figuram confunduntur.

In rebus verò I. Captio ex accidente soluitur si dicamus, non esse necesse, ut quod accidenti conuenit, etiam rei ipsi conueniat, licet conuenire videatur. II. Captio ex eo quod simpliciter vel non simpliciter dicitur esse hoc

hoc aut illud, soluitur per conclusionem contradicentem.

III. Captio ex ignoratione definitionis Elenchi, communis est tum fallacijs illis, quæ in verbis, tum quæ extra verba consistunt. Vt autem solvatur, videndum est, an Elenchus iisdem omninò verbis rebusq; constet: & an eadem in re adhibeatur, & ad idem & eodem modo, & eodem tempore. IIII. Captio ex petitione principij soluitur, si ostendas, idem per seipsum probari. V. Captio ex consequente soluitur, si ostendas consequens latius patere, quam

DE SOPHISTICIS

quam id cuius est conse-
quens, neq; cum eo conuerti
posse. VI. Captio ex non cau-
sa & causa soluitur, si ostendas
absurdum non sequi ex data
hypothesi. VII. Captio ex
pluribus interrogationibus
soluitur per diuisionem in-
terrogationis, ad cuius partes
sigillatim respondendum.

Sed hæc de Logica, breui-
ter delibasse sufficiant. His e-
nim cognitis adolescens faci-
lius & maiori cum fructu i-
psum Organon ex Aristo-
tele cognoscet.

FINIS.

X 2206521



Fl. 491


Fb 497


A. orig

oy
9

...en
...en
...en
...en
...en







Farbkarte #13

B.I.G.

**COMPEN-
DII M LOGI-
CÆ** in duas partes, commu-
nem scilicet & propriam
tributo

Ex Aristotele & opere
Logico MATTHIÆ
LACII P. M. per-
spicua breuitate ex-
cerptum.

ROSTOCHII

Typis Augustini Ferberi junio-
ris, Anno c1o. 1o. xcv.

